



S.d. 38

Cont.

Th. hist. R. IV. 150. 7<sup>62</sup>.

201.

D. Hillebrands Historia Conciliorum  
à N. C. usq; ad sec: 17. anno qz.  
Libellus de Haeresibus

Hermannus de la Sant Thozar.

D. Wernsdorffij Mandatis Orationis dominicae  
deus proprio 1713.  
de divinis Revelationibus, earum  
varietate.

D. Glareij de Daanis et Emolumentis, ex Controversia  
circa Theologiam Impiorum.

D. J. A. Schmidtij Abusus Psalmi 109. de Luthero  
Antonij à Mara in cap: i. et X. Epist:

D. Calovij Annotata Antigrotiana ad Epistolem.

D. Ritsmeierij 157 h. signum frontis Bonorum Haelitarum.

D. Habichtsburij de statutis non bonis Iraeli à deo  
datis ad West: 20. 25.

D. Jos. Meyerij in propheticas visiones Epistolis  
de Templo, urbe, et Terra Haelitiae & Tributione.

D. Christij Tob. Widemurij de Ministeriis Ecclesiasticis  
contra Epistolam Georgeticas 1710. publicatus.

D. H. Debrandij haile Eusebijska vel: Eusebia.

D. Turrettini de Pace protestantium Ecclesiastica.

D. Glareij programma Galerii Jesuiticae opositum reganti  
Lutheranis verum Ministerium.

Von der Landk. programmata prædicta

(1) Geographia Patriæ Abramæ

(2) Recensioni Spacia c. 17. v. 12. 13. 14.

— c. 18.

— c. 19.

— c. 36. 37. 38. 39.

— Tropis.

sive (3) — Danielis Epist. onkeloi, forat.

M. Petri Adolphi Boijen Ecloga Archaologica

ad volum. Aled veteris.

Ecloga Archaologica

ad difficile partit. iter Art. 27. 9.

f. 0

Q. D. B. V. II

# VINDICIÆ ORATIONIS DOMINICAE,

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,

**DN. FRIDERICI AVGVSTI,**  
ELECTORATVS SAXON. HEREDIS  
ETC. ETC.

PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,  
Theol. Doct. & Prof. Publ. Ædis OO. SS.

Præposito, & Senatus Eccles. Assessore,

PRID. CAL. NOV. 1712. 113

E CATHEDRA DIVI LVTHERI  
DENVO AD DISPVTA NDVM PROPOSITAE

A  
**JOANNE HEYMIO,**

Liberosa Lufato.

EDITIO TERTIA,

MVLTIS ACCESSIONIBVS, NOVISQVE VINDICIIS,  
LOCVPLETATA.

---

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

1714

ANALOGIE  
ORATIONIS  
DOMINICAE.

DN. FRIEDERICI AGASTI.

GOTTFRIE. V. ERNSDORFI.

THEO. DEG. & HUG. FELP. A. 00. 22.

E. CATHARINA. DULY. FUTHER.  
DENCO. AD. DISTAVLANDIA PROLOGISTAE

IOANNINE. HEDYMO.

WALTIS. ACCESIONIBAS. NOVIS. A. VINDICIS.  
HOCAPRIBATAY. EDIVAO. TARRA.

ALTEMBURGAE. TRELLO. GERDESIANO.

4



## CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Proemium, de dignitate Orationis Dominicæ. Elogia ejus ex Patribus. Illius sub Papatu utilitas. Lutheri in ea tradenda studium. Pontificiū cuiusdam de eo judicium. Nec non Jo. VVeisii. Notabilis de hoc e Spangenbergio locus.

§. I. Vera Precationis hujus Origine. Observator Halensis e Cabala eam derivat.

§. II. Improbatur.

§. III. Quod Observator primus ita senserit, negatur.

§. IV. Nemo tamen inter Orthodoxos unquam sic statuit. Anti-Cabballistæ laudati.

§. V. Cabala in puram & impuram distinctio. Utramque aliter veteres, aliter recentiores Theologi, describunt.

§. VI. Cabala pura juxta veterum Theologorum sententias, fuit dextra explicatio, & applicatio, Scripture oretenus facta.

§. VII. Hujusmodi Cabalam apud Ebraeos obtinuisse, conceditur. Prophetarum a Sacerdotibus distinctio. Sacerdotes fuerunt ordinarii Doctores. Locus *Mal. II, 7.* a Mercieri cavillationibus asseritur.

§. VIII. Juxta recentiores Cabala fuit aliquid extra, & præter Scripturam.

) : ( z

§. IX.

- §. IX. Imo aliquid Scripturæ contrarium.
- §. X. Nihilominus Eisdem suppar.
- §. XI. Imo præstantius illa. Scriptura enim *Exoterica*, Cabba-la, *Esoterica*, nominatur. Cab-bala Scripturæ tanquam *Con-principium* jungitur. Cur Arnoldus, & Gundlingius LL. Sapientiæ & Syracidae pro Ca-nonicis habeant.
- §. XII. Exotericum & Esoteri-cum quomodo differant.
- §. XIII. Quanto intervallo di-stent Veterum & Recentiorum de Cabbala sententia.
- §. XIV. Observatoris Halensis de Cabbala opinio non est Lu-therana. Probatur auctorita-tibus *VValtheri*, *Glaßi*, *Pfeif-feri*, *CarpzovI*.
- §. XV. Est mere Judaica.
- §. XVI. Papistarum de traditi-onibus, & verbo Dei non scrip-to, persuationi analoga. Probatur ex Pontificiis ipsis.
- §. XVII. Est in Scripturam, e-jusque θεοπνευστιαν, injuria. Probatur rationibus & exem-plis.
- §. XVIII. Num Apostoli aliqua depromperint e Cabbala.
- §. XIX. XX. Negatur.
- §. XXI. Oratio Dominica sigil-latim non est derivanda ex ea-dem. Traditio sephirotica e Platonismo manavit.
- §. XXII. Oratio Dominica sapit formulas Spiritui S. in V. T. adhibitas. Zach. Schilteri hac de re verba.
- §. XXIII. Oratio Dominica est necessaria precandi formula, omnibus hominibus praescripta. Anabaptistæ, Quackeri, Independentes in Anglia, eandem contemnunt. Dannhaue-ri, de pueri cuiusdam adversus hanc formulam precandi αὐτί-παθείᾳ, narratio.
- §. XXIV. An quoad verba con-cepta debeat retineri? Brown-istæ, & quidam Pietistæ, ne-gant.
- §. XXV. Nos affirmamus ob graves causas. Orat. Dom.prisci appellata fuit legitima, & ordinaria. Lutheri de eadem judicium.
- §. XXVI. Orat. Dominicam VII. continere petitiones sem-per

per creditum fuit ab Ecclesia :  
nunc incipit in dubium voca-  
ri. Stratagemata eorum , qui  
malesanas sententias cupiunt  
disseminare. In Notis : Quantu-  
m momenti res sit a recepta ver-  
borum : *Sanctificetur nomen  
tuum!* Interpretatione rece-  
dere. Mali ominis esse vi-  
detur. n. 1. Modestia quid?  
Datur & insidiosa modestia.  
n. 2. In Problematisbus, vere ta-  
libus, licet uni ab altero dissen-  
tire. Problemata h. t. multi-  
plicantur. De sententia qua-  
dam , & interpretatione Sym-  
bolica, non fas est *problemati-*  
*cite* disputare. Lutherus quo-  
usque modestia sit usus. n. 3.  
Ad opinionem novam impru-  
dentibus per svadendam non  
semper opus est *παρόντα.*  
Simulatio verecundiæ facit ad  
conciliationem animorum. Ad  
per svadendum duo requirun-  
tur. n. 4. Affectata mode-  
stia præbet elabendi rimam.  
n. 5. Quod verba : *Sanctificetur  
nomen tuum!* pro *δοξολογίᾳ*  
habere, lœdat veritatem , di-  
lemmate probatur. Veteres  
Theologi ab interpretationi-  
bus clarissimo textui congru-  
is , Ecclesiæque , ac Symbolo-  
rum, auctoritate firmatis, non  
deflectunt. Pius Calovii zelus.

Quod *δοξολογίαν* fingere in  
verbis prime petitionis pu-  
gnat oblique cum analogia  
fidei, apodictice demonstratur.  
n. 6. In Exegeticis non semper  
datur certitudo plena: datur  
tamen in sedibus doctrinarum.  
n. 7. Præjudicia quid notent?  
Num deceat symbola simpli-  
citer inter præjudicia referre.  
Quæ ab universa Ecclesia pro-  
bantur, non temere sunt mu-  
tanda. Elogium Catechismi  
Lutheri ex Wigando. n. 8. &  
9. *Δέσμις* & *δοξολογία* non  
possunt de eadem formula  
prædicari. Quantum diffe-  
rant hæc duo, sententiæ Augu-  
stini, & nostra. n. 10. Quale  
desiderium gloriae inferat *δοξο-*  
*λογία.* Non infert deside-  
rium gloriae nobis applicandæ.  
n. 11. Desiderium quoddam  
perinde ad gloriam DEI,  
ac ad nostri ipsorum necessita-  
tem, spestare potest. Sanctifi-  
cationem nominis divini et-  
iam ad necessitates nostras  
pertinere , verbis Augustini  
probatur. n. 12. Desiderium  
quale in doxologiis occurrit,  
non est tale, quale in petitioni-  
bus adesse solet. Si verba:  
sanctificetur nomen tuum, pro  
*δοξολογίᾳ* habentur, septen-  
arius petitionum numerus ad  
sena-

senarium reducitur. n. 13. An integritas religionis, vel jura-  
menti, etiam in numeris, sit quærenda? Num septenarius petitionum numerus possit sacrosanctus dici? Non tam de numeris, quam numeratis disquiritur. n. 14. Quando, & ubi, nobis liceat in explicatio-  
ne S.S. a Luthero, & Symbolis recedere. Aliud est accura-  
ta Scripturæ interpretatio, aliud qualiscunque illius accommodatio. Aliud est locum in transcurso, aliud ex in-  
stituto, tractare. Interpretatio S. Sacrae in Symbolis ex in-  
stituto suscepta non est dese-  
renda. n. 15. Num interpre-  
tatio Observatoris sit nova?  
affirmatur. Num in hymno:  
*Unsre müde Augenlieder* fundata?  
Negatur. Jo. Franckius quis?  
Eiusdem variatio Me-  
lica Orat. Dominicæ lauda-  
tur. Num in fine hymni:  
*Es ist das Heil uns kommen her?*  
fundetur. Nova Observato-  
ris interpretatio cum explica-  
tione Lutheri conciliari non  
potest.

§. XXVII. Vox ἀγιαζεν Ebr.  
redditur per barach. Verba:  
ἀγιαζήτω τὸ ὄνομά σε, non  
sunt latine reddenda: bene-

dictum sit nomen Domini. Ob-  
stat contextus. Δοξολογία  
in indicativo fiunt. n. 16. Af-  
fectus δοξολογώντος non est  
desiderium gloriae, sed studi-  
um predicandi. Desiderium  
est rei absentis. Δοξολογία  
rem præsentem supponit. τὸ  
ἀγιαζήτω rem demum obti-  
nendam infert. n. 17. Locus  
*Luc. I, 19.* vindicatur. n. 18.  
Num Græcis, Latinisque, rece-  
ptum sit, in imperativo δοξο-  
λογεῖν. Catulli locus ex epigr.  
XXXV. In Oratione Dom.  
nomen Domini non tanquam  
sanctum celebratur, sed ut a-  
pud Nos sanctum fiat, expeti-  
tur. Pulcher Augustini hanc  
in sententiam locus. τὸ ἀγια-  
ζήτω τὸ ὄνομά σε, & ἀγιον  
τὸ ὄνομά σε, quantum diffe-  
rant. Hymnographi aliquando  
adhortationem imperforo-  
naliter exprimunt. n. 19. Ver-  
ba *Psal. CXI, 10. Ies. VI, 4.*  
*Ap. IV, 8.* quomodo supple-  
da. Δοξολογία & εὐχαριστία dif-  
ferunt. Huic, optative ut  
efferatur, non repugnat.

§. XXVIII. Preces cum gratia-  
rum actione, & laudibus Divi-  
nis, sunt conjungendæ. In  
Orat. Dom. adest doxologia n.  
29. Ebrei non semper a doxo-  
logiis

logiis preces suas sunt orsi. In Oratione Dominica δοξολογία quædam & in principio & in fine, apparet. *Pater noster, qui es in celis,* δοξολογία est.

§. XXIX. Ad distinguenda Præcepta in Decalogo, & petitiones in Orat. Dominica, sufficit qualemque discrimen. Prima, secunda, & tertia petitio quomodo differant? Schilteri de hoc sententia. Differunt speciali quadam ratione. n. 21. Eandem esse materiam, præcepti IX. & X. male ab Observatore negatur. Quodnam concupiscentiæ genus in IX. quodnam in decimo, sit prohibitum. *Calovii*, *Quenstadii*, *Gerhardi*, *Carpzovii*, de eodem sententia. Observator ab his dissentit. Petitiones priores tres formaliter differunt. Varia variorum de hoc sententiæ inter se non pugnant. *Gul. Lyseri* judicium.

§. XXX. Num per nomen DEI in prima petitione, nomen ejus *essentialis* intelligatur. Negatur, non sine rationibus.

§. XXXI. In petitione II. Christus nihil de Judaicis Sephiroth inclusit. Waldenses, &

Taboritæ, quibus cum Peterse-nius, & Pzirpecovus, con-sen-tiunt, hac petitione respici-putant ad regnum Chilias-ticum.

§. XXXII. In tertia petitione non jubemur orare, ut attributa divina se exerant, quod sta-tuant Cabballistæ.

§. XXXIII. Verba petitionis tertiæ non faciunt pro Per-fectismo. *Carolus* Pietista Catechesin Lutheri misere de-torquet. Locus *Jac. III, 2*, vindicatur.

§. XXXIV. Lutherus nullum statuit hac in vita Perfecti-  
mum.

§. XXXV. Formula: *göttlich Leben*, explicatur.

§. XXXVI. Tò ὁς, cum compo-sitis, non semper infert conve-nientiam absolutam, vel æqua-litatem, sed solum simili-tudinem.

§. XXXVII. *D. Majus* per pa-nem επιστοι intelligit panem Spiritualem, JEsum Christum.

§. XXXVIII. Quæ interpretatio non est a) vere Lutherana. Lu-therus priorem de pane spi-rituali

rituali sententiam *quater* retractavit. n. 22. Zornius infamis pasquillarius notatur. Majus commendat famosos libellos contra leges Imperii. Jācantia, & arrogantia ejus, una cum aculeis. Rōstochiensium Theologorum responsa laudantur. Lutherus ad s̄apius retractatam sententiam nunquam redit, ne quidem in Comment. ad XVII Cap. Geneseo. Majus non solum Lutheru, sed & sibimet ipsi contradicit.

§. XXXIX. Majana interpretatio est b) erronea, & falsa. Christus in O. D. ab omni tropo & schemate, abstinuit. Quidam veteres per panem  $\pi\epsilon\sigma\tau\omega$  panem Sacramentalem perperam intellexerunt. O. D. est pre-cum omnium compendium & instar.

§. XL. Caduca & temporalia etiam petere licet a Deo.

§. XLI. Verba IV. petitionis proprie accipi oportere, Contextus ipse probat.

§. XLII. De pane corporali in-

#### E R R A T A .

N. XIX. p. 55. lin. 11. & 14. lege יְהָבֵד, ib. l. 25. post, *benedictum*, adde: vel potius: Sit Dominus Deus tuus benedictus. p. 73 lin. 21. lege, scommate. Reliqua benevolus Lector ipse corriget. .

Si

telligunt e Latinis Tertullianus, Cyprianus, Chromatius, Augustinus, Hieronymus, Venantius, Isidorus Hispal. & alii.

§. XLIII. E Græcis: Basilius, Gregorius Nyssenus, Isidorus Pelusiota, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoreetus, & Jo. Damascenus.

§. XLIV. Kufferiani quintam petitionem mutarunt. Anabaptistæ, Tremuli, & Pietistæ, prorsus omittunt.

§. XLV. Rejiciuntur.

§. XLVI. Epilogum O.D. Observator Halensis e Cabala derivat.

§. XLVII. Prælusit huic Sauterius.

§. XLVIII. Negatur. Talmudistæ & Cabalistæ fuerunt plagiarii.

§. XLIX. Observatoris Halensis refutatur.

§. L. Epilodus Orat. Dom. e formulis V. T. deducitur.



I verum est, quod nemo dubitat, dignitatem effecti ab auctoris excellētia pendere, non est infitiandum, formulam precandi, quam Orationem Dominicā appellamus, tanto reliquis omnibus esse anteferendam, quanto generis humani stator, atque vindex, mortales omnes, virtute, sapientiaque antecedit, ac superat. Johannes Baptista, ut erat divinitus constitutus, suo qui ministerio, novi foederis tempora, dedicaret, viamque pararet Domino; ita, cum non ignoraret, quantum situm esset in precibus, discipulos suos modum rationemque vere precandi, sive sponte quadam, sive rogatus, docuit. In qua etsi procul dubio desiderari nil potuit, quum in ea præscribenda non minus, quam in habendis ad populum concionibus, immediato Numinis afflato usus sit; tamen, ne qua in re vel Sponsus inofficior amico, vel Dominus inferior servo videretur, voluit & ipse Servator, peculiarem orandi formulam suis proponere, maxime, cum, ut faceret, a quodam e discipulis rogaretur. Tradidit ergo eam tam plane, sapienter, ac breviter, ut singula verba, singulæque sententiæ de auctoris divinitate testentur. Apostoli vero prompte, cupideque, arripuerunt eam, historiisque a se scriptis insertam posteris magno studio commendarunt. Hos secuti Ecclesiæ Doctores, quos Patres dicere solemus, non modo summis eam laudibus extulerunt, sed & justis prope Commentariis illustrarunt. Cyrilus Hieros. εὐχὴν Γεοργίου: Tertullianus, totius Evangelii brevarium: Augustinus, orationem vere coelestem, appellavit. Non temere actio est instituta sacra, cui illud precum sanctissimarum compendium, non, velut condimentum quoddam, aspergeretur. Et est,

A

cur

cur inter divinae providentiae testimonia numeremus, quod, cum, durante Pontificum R. tyrannide, optima quaque vel corrupta, vel prorsus ejecta fuerint, Precationi tamen Dominicæ pretium suum, honosque constiterit. Quæ sicut plerisque omnibus instillata fuit a puerò, & inculcata fideliter, ita quin ejus beneficio multorum procurata sit salus, erroresque vel prohibiti, vel saltē debilitati, non dubito. Lutherus autem repurgatus sacra, non modo id operam dedit, ut inter capita religionis præcipua relatam ad posteros propagaret, sed & multo, quam ante, explicatiorem, magisque dilucidam redderet. Intelligebat enim vir summus, preces sacrorum omnium nervum esse, nec salvum esse posse, sanctissimum illud, quod inter Deum & homines intercedit, vinculum, nisi ardens Oratio cum ceteris religionis partibus conjungatur. Hac mente, sacrosanctam formulam singulari commentarie illustravit, quem, omisso auctoris nomine, Italo sermone redditum cum aliquando vidisset, legissetque apud Venetos, *Ordinarius*, penes quem librorum publicandorum censura est, mirifice delectatus eodem, dixit: *Benedictus sit, qui Orationem Dominicam sic explicavit: Et benedicta manus, que ista omnia scripsérunt. Beati oculi, qui vident ac legunt: beata corda, que credunt, Et hoc præunte libello ad Deum clamant: teste Cyr. Spangenb. Conc. XII. de Lutb. l. D. 6.* Lutherus autem non contentus nervose ac breviter explicuisse Precationem, metro etiam reddidit, & in hymni formam redegit, quem \* *Jo. Weifus, vir integer ac cor-*

\* *Hic Joannes Weifus, si Spangenbergio credimus, Mittweidae quidem, in Misnia, est natus, didicit autem Qverfurthi, aliisque in scholis, tandemque Coloniam ad Rhenum delatus, Baccalaureus Philosophiae creatus fuit. Qverfurthum redux Sena-*

cordatus, quique senex admodum a Pontificis ad Nostros transiit, eosque admiratus fuit, ut diceret ad Cyriacum: *Hoc uno carmine scripto plura præstissime Lutherum, quam universa Scholasticorum turba, cum omnibus suis commentationibus, sub Papatu.* Vid. Spangenb. in Cithar. Luth. P. III. f. 81. Quæ dum apud me reputo, non possum non ingemiscere infelicitati seculi nostri, quo nunc divina formulæ hujus origo,

A 2

nunc

Senatui oppidano, quantum colligo, *Prætoris nomine præfuit.* Papistica superstitionis tenax a D. Justo Jona, quem Halis concionantem audierat, eo perductus fuit, ut de veritate illius dubitare inciperet, tandemque non minorem, in tuenda Lutheri doctrina, constantiam, quam antea, in retinendo Papatu, contumaciam ostendit. Itaque quum D. Georgius Major erroneous dogma, de necessitate B.B. OO. ad salutem, disseminare inciperet, *Weifus id indignissime tulit, conversusque ad suos dixit: Allmächtiger Gott! wil man nun die Leute erst wieder auf diese opinion führen, darinn ich so tieff gesteckt, und so schwerlich beraus zu bringen gewesen? Was will zuletzt daraus werden? o beter, lieben Kinder, betet, daß euch das leidige Pabftbumb nicht wieder übersbleiche! denn was darinnen vor eine Gewissens-Marter und Angst gewesen, weiß niemand, denn wer es versucht hat.* Cum grandis jam natu esset Qverfurtho Islebium, ad generum, filiamque, se contulit, quo Sacris ea in Urbe quotidianis uti, fruique, posset. Idem hic Weifus Hymnum condidit: *Nun laß uns den Leib begraben &c.* De Oratione vero Dominicæ, per Lutherum metro redditæ, audiente Spangenbergio, ita judicavit: *Wenn D. Luther mehr nicht gethan, noch geschrieben hätte, denn, daß er das einige Lied: Vater Unser im Himmelreich &c. gemacht hat, so könnte ihm doch die gantze Welt solches nicht gnugsam verdanken, noch vergelten &c.* Vid. Spangenberg. in Chron. Qverfurth. L. IV. cap. LXXXV. p. 495. sq.

nunc partitio & distributio, nunc sententia ipsa & explicatio varie infestatur, ac læditur. Memores ergo illius, quod haud ita pridem publica dissertatione promisimus, *Vindicias sanctissimæ hujus formulæ adornabimus, eandemque a recentiorum quorundam corruptelis, & cavillationibus asseremus.* Cui instituto Numen immortale, pro magnitudine suæ gratiæ, prolixissime faveat!

§. I. Ac omnibus quidem relictis, vera Precationis hujus nobis vindicanda origo est. Etsi enim hujus divinitas eo usque explorata, & certa poterat videri, ut non temere posset a quoquam in dubium vocari; nihilominus tamen hoc tempore, quo artis, & ingenii, esse creditur, omnia novare, nihil intactum, aut intentatum relinquere, a præposterioris *Cabbala* admiratoribus eadem manifesto sollicitatur. Hos enim si volumus audire, omnis illa precandi formula non primum a Servatore concepta, sed particulatim a Judæorum majoribus tradita, & ex fragmentis Cabbala in corpus quoddam collecta fuit. Recito verba D. Jo. Fr. Buddei, Jenensis *Theologi*, (hic enim illius auctorem se esse profitetur) in *Observ. I. T. I. Hal. §. XII. & XIII. Summa*, inquit, *doctrine Christi & Jobannis fuit: Oeconomia regni cælorum per Christum erigendæ. Eadem fuit summa doctrine Cabballistæ, quippe que unice tendebat ad מלכות, unice eo erat comparata, ut oeconomiam regnum divinorum, precipue Messie exhiberet.* Iisdem ergo verbis cum summam doctrinæ suæ exprimat Servator, quibus Cabballistæ, quis dubitet, eum hoc ipso Cabbalam istam dogmaticam veterum Ebraeorum suo approbasse calculo. Sed hoc forte nemini adhuc observatum est, in ipsa Oratione Dominica doctrinam sephiroticam velut in compendio exhiberi. Quod ita demonstro. Potest Oratio Dominica in duas dividiri partes, quarum prima Deum, ad quem preces fundimus, &

*excono-*

economiam regni divini, altera hominum miseriam, & calamitatem precipue respicit. In priori petere jubemus; Sanctisetur nomen tuum. Nomen scilicet יהוה quod juxta Cabbalistarum doctrinam tres personas Trinitatis denotat. Namque Deo Patri quin hoc nomen conveniat, nullum esse dubium. De Filio satentur hoc Cabbalistæ, dum inter cognomina תְּהִכָּמָה referunt Jod Tetragrammati. De Spiritu S. itidem, dum inter Cognomina בֵּין referunt He secundum Tetragrammati. Ergo hic statim exhibentur tres Sephiroth. Cum his in secunda petitione conjungitur regnum: adveniat regnum tuum, ut scopus & finis totius theologiae Cabbalistice, sapientissima economia regnum divinorum, indicetur. Medium autem, administrandi regna ista divina, consistit in exercitio divinorum attributorum, que hic conjunctim per voluntatem divinam exprimuntur: fiat voluntas tua. In sequentibus ad conditionem eorum, qui in regno Ecclesiæ vivunt, respicitur. In clausula autem denuo regni injicitur mentio, idque in solidum Deo vindicatur, tuum est regnum. Hinc precipua attributa divina subjunguntur: & potentia גְּבוּרָה, que est Sephirah quinta, & gloria, que est sephirah octava, ad potentiam autem commode referri potest etiam גְּדוֹלָה sive magnitudo, que est Sephirah quarta, ut ad gloriam הַפָּארָת decus seu pulchritudo, que est Sephirah sexta; additur denique in sempiternum, quorsum reliqua due Sephiroth נְצָחָה & נְזָרָה & eternitas commode referri possunt.

§. II. Fateor, hæc tam horrida esse, & crassa, ut sine intimi doloris, & justæ indignationis sensu, legere non potuerim. Quid enim hoc est aliud, quam Magistrum magistrorum ad Cabbalistatum subsellia revocare, aut æternam infinitamque Sapientiam plagi cujusdam arguere, quæ ex Iudæorum doctrinis Sephiroticis quendam formularum centonem consuerit.

A 3

§. III.

§. III. Neque tamen *primus*, quod putat Observator, præpostera illam, ne dicam impiam, de origine Orationis Dominicæ opinionem animo suo concepit. Multo enim prius Baro Knorrius de Rosenvorb, quem *Christiane religiosis capita ad Cabbalam inflexisse* Observator ipse commemorat, in Oratione Dominicæ, quædam doctrinæ Cabballistæ vestigia sibi visus est invenisse. Fatetur hoc ipsum in *Introd. ad Hisp. Philos. Ebr.* p. 237. idque serius a se deprehensum esse insinuat. Interim, ne omnis pulcherrimi inventi gloria sibi eripiatur, subjicit, *alia ratione*, quam Knorrius, applicationem Cabballæ ad Orat. Dominicam *sese instituisse*. Quo ipso uti tacite agnoscit, eidem sese exposuisse corrumpendæ veritatis periculo, in quod Knorrium incidisse videmus, quem, *nimio commendandi Cabbalam & cum doctrina Christiana conciliandi studio*, eo usque abruptum scribit, ut parum absuerit, quin in hac injurius esse visus sit, l. c. p. 244. ita hoc unum adjecisse mihi licet, quod eadem multo ante Knorrium senserit Alex. Morus, qui suis in *Notis ad N. T. f. 316.* edit. Salmur. ita scribit: *Filiū Dei jam liberati ex manu diaboli Patrem cœlestem compellant.* Ne nos inducas, inquiunt, in tentationem, sed (hoc enim proprie servare est: nam aliud est Servator Latinis, σωτὴρ Gracis) serva nos ab occurso mali; quemadmodum *Judei* precantur, NB. quorum formulas toto hujus Orationis tractu Dominus adscivit.

§. IV. Non igitur est, cur istud *primum* sibi observatum fuisse magnopere glorietur, quum & ante ipsum Knorrius, & ante Knorrium Morus, eadem in sententia fuerint. Interim si de Doctoribus orthodoxis, & A. Confessionis societatem professis, loqui volumus, certum est, neminem, ante Observatorem Halensem, talia scripsisse. Reverentitis e-

III. 2

3 A

theologos in nim

nim de Origine, ac initio, sanctissimæ formulæ sibi statuendum esse putabant, quam ut a *nugis*, ut ipse Observator nominat, & *ineptiis Cabballisticis* derivarent. Quapropter cum in *Disput. de Osiandristmo in Pietismo renato*, originem errorum in Osiandro, a nimio *Cabbale* studio deduxisset, idem illud in Observatore Halensi, dissimulato tamen illius nomine, reprehendi. Et si vero nec primus nec solus id fecerim, quum *Bücherus*, *Edzardus*, *Bergerus*, aliquie, nunc ex instituto, nunc ex occasione, præposterauam *Cabbala* admirationem in Observatore notarint; nihilominus tamen id adeo male habuit Jenensem Theologum, ut peculiari *Disquisitione de moderamine inculpate tutela*, mecum hac de causa expostularit. Et quidem quo consilio, quaque de causa, de Cabbala paulo severius sententiam dixerim, alio loco \* jamjam exposui. Nunc autem liberabo fidem, quam dedi, & quoniam Observator totam Orationem Dominicam resolvit tandem in Cabballam, hac occasione quid mihi de illa videatur, edisseram.

§. V. Observator in *Disquis. de moder. inculp. tutelæ nihil a veterum Theologorum mente alienum vel abhuc docere*, vel *unquam se docuisse* jactat. Queritur igitur de illata sibi *injuria*, omnemque contentionis non necessariae, & excitati dissidii culpam in me derivat. Rectene, an secus, videbimus. Nimurum, quod ad *Cabballam* in genere attinet, eam cum veteres quidam, tum recentiores, in *puram*, & *impuram* distinguunt. Hanc posteriorem rejiculam esse, spuriamque, ac nugatoriam, fatentur utrique. Eam igitur in rem nil addo. Priorem vero, seu *puram*, aliter veteres, aliter

\* Vid. *Programma invitat. ad Orat. Inaugur. Dn. D. Reuteri, A. 1708. addatur si placet gründlicher Erweis c. Budd. Anno 1709. in 8.*

aliter recentiores describunt. Illi enim, utpote *Waltherus*, *Glaßius*, *Carpzovius*, *Pfeifferus*, per eandem nihil aliud intelligunt, quam idoneam explicationem, & applicationem *Scripturæ*, viva voce traditam, & ad posteros propagatam. Quia enim in lege Dei multa occurrunt vaticinia de Christo, typi ac umbræ, multa item dicta, ut sic loquar, prægnantia, & sensu mystico turgida, hinc utique opus fuit institutione quadam, quo & explanarentur difficultia, & evolverentur dubia, & illustrarentur obscura, vaticinia denique ad Christum, typi ad antitypum, umbræ ad corpus referrentur.

¶ VI. Atque hanc quidem institutionem hominum, per interpretationem *Scripturæ*, veteres illi Theologi traditionem, seu *Cabbalam puram*, nominarunt. Sic *D. Waltherus* Sen. in Offic. Bibl. §. 668. p. m. 523. *Vox*, inquit, *Cabbalah* denotat (1) *sensum illum mysticum*, quem *Spiritus S.* in *Scripturis* intendit; de quo optimè judicat *Petrus Cuneus* in tr. suo de rep. Ebr. accuratisima L. III. c. 8. *Ego veram Cabbalam appello mysticum intellectum earum rerum, quæ in SS. libris latent.* -- (2) Mendacium Iudaicum, de Lege ore tenus tradita, quam NB. dicunt Judæi *expositionem esse Legis scriptæ*, eamque Mosen diebus illis 40, totidemque noctibus in monte Sinai ex Dei ore didicisse, & sine ea multa Legis precepta ambigua, obscura, & interdum pugnantia, intelligi non posse, eamque in Talmud postea relatam perhibent. Et in hac *Cabbala* multa occurrunt, quibus ad magicas artes solent abutiri. Proinde hoc genus *Cabbale*, tanquam impurum, spurium, anile, & febriculose ad hos remittimus homines nūgiceros. (3) *Lusus* quorundam ingeniorum - - vel per *Gematrajia*; - - vel *Noterjekon* - - vel per *Temura* &c. Et *Glaßius Philol.* S. L. II. Tract. 2. Sect. 5. Art. 7. scribit: *Cabbala vera, & pura, nihil aliud est, quam mysticus Scri-*

Scripturarum S. intellectus. Pfeifferus autem in Crit. S. c. VII. Sect. 2. Qu. 1. Nos, inquit, distinguimus inter Cabbalam, sumptam pro oralí propagatione divinorum mysteriorum, quomodo patimur ut Adamo accepta referatur; & pro alphabetaria illa Scripturam explicandi ratione &c. Carpzovius Cabbalam ortam suisse hariolatur e mercabah, quæ fuerit, ut ipse loquitur, mere ψυσηρωδης, mystica, & pro Objecto habuerit mysteria in religione illa, qua maximam partem typica fuerit, imprimis in forensum & ceremonialium Legum observatione, recondita.\* E quibus patet, veteres Theologos, quorum sese auctoritate tueri studet adversarius, Cabbalæ purioris nomine nihil aliud intellexisse, quam Scriptura in locis difficultibus interpretationem, typorum ad antitypum, umbrarum ad corpus, accommodationem, mystique imprimis sensus investigationem.

¶. VII. Hujusmodi vero Cabbalam tantum abest, ut vel improbem, vel in populo Dei obtinuisse negem, ut potius, salva veritate, ne quidem in dubium vocari posse existimem. Nec enim ea in gente, quam Deus suum in peculium elegerat, deesse potuerunt idonei homines, qui typos, & mysteria evolverent, & quomodo ad Christum ejusque beneficia referenda essent, monstrarent. Etsi enim non sit credibile V. Testamenti doctores tam exacte scivisse sensum mysticum, ut minutissimas quasque typorum circumstantias potuerint accommodare ad Christum; quam hac ratione sequatur, Novum foedus nihil praeter Veteri præstitisse; id tamen non temere insitiandum est, Israëlitæ typos, & ceremonias divinitus præscriptas, cum iis, quæ dilucido sermone revelata erant

\* Quatuor Virorum horum testimonia a cavillationibus Jenensis Philosophi vindicata legas, si placet, im gründl. Erweß c. D. B. §. XIII. f q. p. 100. tq.

erant de Christo, inter se comparando, facile assequi potuissent, quid umbræ sibi vellent *in genere*, ob *miram vaticiniorum de Messia, & typorum convenientiam*, e qua prona & facilis horum ad illum accommodatio sequebatur. Fuerunt igitur apud Israelitas non modo Prophetæ, qui nova revelarent, Canonemque divinum extenderent, sed etiam sacerdotes, & divinæ legis consulti, qui pridem revelata custodirent, defenserent, explicarent, juxta illud *Mal. II, 7. Labia sacerdotis custodiunt legem, ut ex ore ejus petatur lex, quia est anguis Dei, Domini Zebaoth,*\* & quoad vel ab Adamo, vel a Patriar-

\* Verba *Malachie* de sola *judicandi*, & controversias super ceremoniis *decidendi potestate*, cum exclusione *doctrine publicæ*, & explicationis Verbi DEI, accipit *Io. Merckerus*, Essensis olim Ecclesiæ in Westphalia Pastor, qui anno fœuli hujus tertio peculiari libello, *de libertate docendi*, edito, palam negavit, apud Ebræos, vel Sacerdotes, vel Levitas, vel alios denique ab hominibus vocatos, ordinarie docuisse in scholis, sed qui modo cunque Legis periti fuerint. Quem fanaticorum errorem confutat a.) Scriptura *Levit. X, 11.* ubi Aaron, & posteri ejus, lege quadam aeterna, jubentur *babere scientiam discernendi inter sanctum & profanum, docereque filios NB. omnia legitima Domini.* Utramque etiam potestatem initio Sacerdotibus ac Levitis, hinc Phariseis, & Legis peritis, ordinarie convenisse, ex eo, quod *super Cathedra Mosis sedere* dicuntur *Matth. XXIII, 3.* eleganter ostendit *B. Glassius Philol. S. L. V. Traſt. I. p. 1093.* Nec alia de causa Sacerdotes etiam in *V. T.* dicuntur *legati DEI*, quum legati sit voluntatem *legantis* idonee aperire. Saltem pro puris putis laniis haberi non debent, qui preter maculationem victimarum nihil praefiterint, sed potius Legis, ac voluntatis divinae interpretibus, quique dextram institutionem cum sacrificiorum oblatione conjunxerint. Hinc Simeon, quem tamen Sacerdotem fuisse subdubito, quo tempore

triarchis, vel primogenitis, vel horum successoribus, verbum Dei recte & explicatum & applicatum fuit, tamdiu obtinuit apud Israelitas *Cabbalah*, vel traditio, eademque *pura*, quæque adeo non fuit aliquid *præter*, & *contra* Scripturam, sed fuit ipsissima Scriptura recte cum explicata, tum applicata.

§. IIX. Habes veterum de *Cabbala pura* sententiam: Nunc quid de illa Observationis auctor statuerit, videamus. Hic *Cabbalam puram* describit tanquam aliquid I.) *præter Scriptorum*, vel a *Scriptura diversum*. Primo enim (1) Moses, *præter divine humanæque sapientiæ capita*, quæ *histo- ria sua* inseruit, ALIA quædam, & *sublimiora quidem*, *Philosophiae capita*, *orali traditione propaganda*, dicitur accepisse in *Hist. Ebr. §. XIII. p. 35.* (2.) D. Baddeus *Introd. §. XXXIV. p.*

B 2

179.

pore Maria Virgo DEI para secundum legem expianda sacri- ficiis erat, multa de Servatoris, per hæc ipsa representatis, be- neficiis ad circumstantes disservit *Luca II. 21.* parumque ab- est, quin historiam *Samuelis L. I. cap. IX. 13. sq.* studiosius intuens, eam in suspicionem adducar, Prophetas olim & sacerdotes conviyyis sacrificialibus non alio consilio fuisse ad- hibitos, quam ut de indeole, significatione, & fructu sacrifi- ciorum convivas edocerent. Urgemus 2.) *praxin Ecclesiasti- ficam*, si quidem Levitæ tum *missi ad docendum a Josapha-* to 2. *Chron. XVII. 7. sq.* cum *erudiisse omnem Israelem*, dicuntur 2. *Chron. XXXV. 3. conf. cap. XXXI. 4.* Addo te- stimonium *Philonis Judæi* apud *Euseb. de Preparat. Evang. L. VIII. 7. f. 366. edit. Paris.* Καὶ ὅτα, inquit, συνέρχονται μὲν αἱ ἡγεμονίαι μετ' αἱλλων οἱ μὲν πολλοὶ σιωπῆ, πλὴν εἰ τὰ προσεπιφημίους τοῖς ἀναγνωσκομένοις νοικεῖσθαι: Τῶν ἵερῶν δὲ τίς ὁ παρὸν ἢ τῶν γερόντων, ἐις ἀναγνώσκει, τὰς ἴσριδες νόμους αὐτοῖς, καὶ παῖς ἑπατοὶ ἐξηγεῖσι μέχρι χειδὸν δεῖλης οὐδὲς, εἰ sacerdotibus, vel senioribus, aliquis sacras leges palam recitans omnes sigillatim exponit, donec alta jam vespера discedunt universi &c.

179. Mosaicam Philosophiam tanquam *genus*, in *arcionario*, seu Cabbalam, & *exotericam*, quæ NB. in *libris Mosis* continetur, tanquam *Species*, distinguit. (3.) In §. XXXVI. p. 245. secreteorem & *arcanam sapientiam*, quam Cabbalam appellamus, *Exotericae* illi, NB. que in *Mosis* precipue scriptis continetur, clare perspicueque opponit. (4) Inter Cabba-*lae* purioris fragmenta, & reliquias, referuntur a B. argumenta quædam historica, utpote de *Mosis institutione in mysteriis Aegyptiorum*, de *Janne & Iambre Mosi resistentibus*, &c. quæ in Scriptura N. T. leguntur, in Scriptura vero V. T. non ex-*tant*, adeoque, judicio adversarii, *præter*, & extra Scriptu-*ram*, Veteris nempe Instrumenti, (sub hoc enim Cabbala pricipue floruisse existimatur,) sunt propagata ad posteros. (5) Patriarchæ, Moses, & Prophetæ, ritus, dicta, & facta di-*cuntur* adhibuisse tanquam *mysteriorum symbola*, de quibus tamen denuo in Scripturis nec vola, nec vestigium appetet. Denique (6) typorum ad Christum accommodationem, fa-*citorum* certorum notitiam, interpretationes Scripturæ alle-*goricas*, dogmatum quorundam symbola, de quibus in Scri-*ptura* V. T. nil legitur, & quibus tamen Scriptores N. T. hinc inde usi sunt, e Cabbala derivat, eandemque adeo tanquam aliquid a Scriptura diversum manifesto considerat.

§. IX. Imo vero eam II.) tanquam aliquid *Scripture contrarium* describit. Negat enim dubium esse, quod & *Apostolus Paulus* cultus *Levitici* partes ad *Messiam* applicando, & ceteri Scriptores Sacri N. T. dicta vet. *Testamenti*, in qui-*bis* de *Messia* non agitur, *itidem ad Messiam* referendo, *Cab-  
balam Ebræorum fuerint secuti*. Quod si Cabbala etiam pu-*ra*, quædam V. T. loca, in quibus de *Messia* non agitur, ni-*hilominus* retulit ad *Messiam*, sequitur, quod & Cabbala Scripturæ, quatenus alienam ei sententiam affinxit, contra-  
ria

ria fuerit, & Scriptores eam secuti, errorem commiserint, loca Scripturæ aliter intelligendo, quam fuerant ex mente Spiritus S. intelligenda. Non satis est, excepisse: si negetur, quædam V. Testamenti loca *de Christo agere*, utut per Cabballam ab Apostolis ad Christum accommodata, id ita accipi debere, quod ea loca *literaliter* non agant de Christo. Quando enim hunc illumve locum *agere de Christo* simpli-citer negatur, tunc *uerque* sensus & *literalis*, & *mysticus*, seu *realis* excluditur. Quisquis igitur statuit, Apostolos Cabballam secutos loca Scripturæ, quæ non agunt de Christo, applicuisse ad illum, eum adæquatam Scripturæ *Geonievicu*, & divinorum scriptorum *αισφίλειαν* impugnare puto, & perse-vero in sententia, bene facturum esse Buddeum, si ea, quæ nec pie, nec prudenter effutiit, declinandi, quod dedit, scandali causa, publice retractarit.

¶ X. Nihilominus tamen III.) eadem hæc Cabballa tanquam divinum quid, & ipsis Scripturis *suppar*, & *equiparandum* laudatur. Initio enim, α) si Observationis auctori credimus, primi ejus auctores dogmata ejus *ex divina re-velatione* hauserunt l. c. p. 3. Et si enim l. c. de *Philosophia mystica*, seu *Theosophica*, loquatur, mox tamen hanc ipsam ex Ebræorum Cabballa fluxisse docet. Quo pacto fieri nequit, quin eadem & Cabballæ, &, quæ ex illa manavit, *Theosophia* & *Philosophia*, sit statuenda origo, nimurum revelatio divina. Conf. *H.ß. Philos. Ebr. S. XIII. p. 35.* quo loco Moses Cabballæ capita ab *ipso Deo edocitus* dicitur. Repetit hæc, & confirmat, hyperaspites Buddei in der Abfert. p. 378. Imo vero p. 276. scribere non dubitat: *Cabballa hat ihren ersten Ursprung von Gott.* Quo pacto Traditio Iudaica, quam vocamus, Scripturæ V. Testimenti, velut CON-PRINCIPI-VM quoddam, ut ita loquar, adjungitur. β) Interpretationes

tiones allegoricas Apostoli acceperunt per Cabbalam, imo integrum N. T. libri, utpote Epistolæ ad Colossenses, Ebraos, Apocalypsis, ex eadem deprompti sunt. *vid. Observ. Hal. T. I. Obs. I. n. XIV. XV.* 2) Colossenses etiam, & Ebrai, aliquae ad veram in Christum fidem per Apostolos, non tam quatenus verbum Dei, quam quatenus Cabballistica proposuerunt, perducendi fuerunt l. c. p. 8. 9. Denique 3) M. Arnoldus, in *Sophia sua*, *Nic. Hieronymus Gundlingus*, *Observ. Halens. T. V. n. 13.* (hujus enim auctorem se profitetur in hist. Philosophi, Moralis P. I. p. 73.) forsan & alii, hac ipsa de causa, quod e Cabballæ fragmentis fere contextos putant, *Syracidem*, & *Sapientiam*, pro *Canoniceis* habere non dubitant. Conf. Celeberr. D. Fabricius L. III. Bibl. Graecæ p. 735. nec non, si placet, *dissertatio nostra*, quod liber Sapient. & Eccles. pro *Canoniceis* non sint habendi.

*§. XI. Imo vero IV.)* Cabballa non obscure ipsa quoque Scriptura prestantior habetur. Pro illius enim opinione Scriptura pertinebat ad vulgus: Cabballa ad viros sapientie laude inclitos. Illa circa rudimenta quædam: Hæc circa sublimiora Sapientie capita versabatur. Comparatus igitur B. Scripturam, & Cabballam, illius libros exotericos, hujus esotericos, & acromaticos, appellare non dubitavit in Hist. Philos. Ebr. p. 35. Quo nomine quum merito sub notatus a Büchero Celeberr. fuisset in der Zugabe des XII. Pietist. Monath. sub initium, Noster permoleste id tulit, causatus, maximim sibi fieri injuriam, & animum malignum prodi ab adversariis, quum non ipsam Scripturam sed Philosophiam & Scriptura deductam exotericę Philosophie nomine insignerit, in Moderam. p. 88. Ita, nimirum, cum injuria de injuria querendum erat. Enim vero in Hist. Phil. Ebr. l. c. concepitis verbis scribit: *Divina humanaque Sapientie capita histo-*  
*rie*

ria sua Moses inseruit: Deinceps alia quadam, & sublimia Philosophiae capita, quæ ab ipso Deo edocitus fuerat, viris Sapientie laude inclitis orali traditione propaganda commisissæ dicitur. Hinc duo enata scribit Philosophia genera: Esotericum seu Acroamicum, & Exotericum. Illud quoque Cabalam appellatum fuisse. Hæc ipsissima adversarii sunt verba, tantum brevius repetita. Quo autem jure nunc negat, se se Scripturam ipsam pro exoterica habuisse? Etenim illa per Moysen Historiæ S. inserta capita nonne ipsius Scripturæ S. partem constituant? Atqui hæc adversario Philosophia exoterica l. c. dicitur. Ergo Scriptura ipsa Exoterica appellatur. Nec enim est, cur in vocabulo Philosophie latibulum sibi querat, quum & *Judeos* olim, & initio *Christianos* hoc nomine religionem ipsam insignivisse ex *Philonem*, *Justino M.* aliisque ignotum ei esse non possit.

s. XII. Itaque, merito ista sibi objecta esse, intra se convictus, excipit demum: *distributionem illam ad methodum saltum, modumque tractandi esse comparatam*: nec magis per eandem de dignitate Scripturæ detrahi, quam de dignitate ipsius Theologiae *Catechetica*, quæ & ipsa, in oppositione ad *Systematicam*, vel acroamaticam, *exoterica* appelletur. Sed enim vero *Esotericas*, & *Exotericas* disciplinas non modo ratione methodi, sed & argumentorum, ac rerum ipsarum distinctas olim fuisse, vel ex uno Plutarchi loco poterit ostendi. Ita enim ille in vita Alexandri: Ἐοικεν, inquit, Ἀλέξανδρος ἐ μόνου τὸν ἀθικὸν, καὶ πολιτικὸν παραλειβεῖν λόγουν, αἷλα καὶ τὸν ἀπορρήτων καὶ βεβυτέρων διδασκαλῶν ὡς οἱ ἄνδρες ἴδιας ἀπερμηνιάτικος, καὶ ἐποπτικος προσωγούσεν οὐτες, ἐν ἑξεφερον εἰς πολλὰς μεταχεῖν. Cumique ipse adversarius largitur, in Theologia acroamatica plus esse *ingenii, eruditio-*

*nitatis*

gnitatem, non utilitatem, inferiorem esse acromatica diffiteri non potest, quia subtilitas, methodi *expresia*, rerum sublimitas atque copia sunt hujusmodi, ut omnino quandam præ alio dignitatem, præstantiamque concilient. Si proinde in Cabbala, & sublimiora divinæ Sapientia capita, & accuratiore ordine, & ubertate rerum majore, traduntur, quam in ipsa Scriptura, quin hæc illa inferior debeat haberi, dubium esse non potest.

§. XIII. Vidimus Theologorum nostrorum, vidimus Observatoris de *Cabbala pura* sententiam. Comparemus nunc unam cum altera, & facile apparebit, quantus inter eos dissensus detur. Pfeifferus Cabbalam *puram* vel cum ipso *Adamo*, & Ministerio in Ecclesia publico: Auctor observationis cum *Mose* demum cœpisse, & peculiare *Mosaica Philosophie* genus constituisse, scribit. Theologi Cabbalam non nisi *vetera*, & ab ipso Deo tradita explicuisse, & applicasse: Hic *nova* eandem cum *dogmata*, tum *dogmatum Symbola*, invexisse statuit. Illis Cabballistæ *sensum mysticum*, e verbis Scripturæ, eruerunt: Huic iidem, per *symbola a se inventa*, rebus, in Scriptura propositis, *sensum quasi mysticum induxerunt*, easdemque, *Bonfrerii* judicio, ut *Pythagorei* olim sua *dogmata*, *Paracelsus*, Medicinæ suæ *mysteria*, *Chemista*, sua *arcana*, verbis obscurioribus involverunt. Secundum illos Cabbala *obscuriora illustravit*: Secundum hunc, clara & *illustria*, utpote doctrinam de mysterio Trinitatis, per schema Sephirothicum, *obscuravit*. Secundum illos, Cabbala *sensum e verbis Spiritus S. eruit*: secundum hunc, dicta aliter quam fuit, interpretando, in verba Spiritus S. *intulit*. Illorum opinione Scriptura fons est, & fundamentum Cabbalæ: hujus autem opinione Cabbala fons est & fundamentum Scripturæ. Illorum opinione Cabbala purior, *materialiter*, & *fundamentali*.

zaliter spectata, est ipsa Scriptura S. hujusque sensus mysticus: Hujus autem sententia, Cabbala est quoddam Dei verbum nunquam in literas relatum, sed a majoribus acceptum, solliciteque, ac justa serie, *ore solo*, per omnia secula propagatum, adeoque a scripto Dei verbo *specifico* diversum. Verbo: quantum datur inter Cabbalam *puram* & *impuram*: sanam Nostratium opinionem, & ineptam Iudaorum de illa persuasionem, tantum inter Theologorum veterum, & Observatoris, de Cabbala, sententiam, datur discriminis. Qua igitur, non dixerim fronte, sed conscientia, nostratium pro se allegare consensum, & semel, iterumque, ac tertium, gloriari potuit: *nihil se NB. unquam aliud docuisse, aut docere voluisse*, quam illi docuerint. *Moderam. p. 39. 40. 41.*

S. XIV. Namque si ferendum est, ut declinare non possumus, de Observatoris opinione judicium, velimus, nolimus, dicendum est, eandem I.) non esse *Nostram*, vel ulli Nostratium Theologorum probatam, quod supra numero plurimis, firmissimisque argumentis ostendimus. WALTHERVS enim in *offic. Bibl. §. 668.* Cabbalæ nomen *trifariam* accipi posse docet. Primo pro sensu Scripturæ mystico: *Incepit*, pro Lege oretenus tradita: *Postremo* pro lusu quorundam ingeniorum per Gematriam, Notaricon, & Temuram. Primum genus laudat: *Tertium* sub certis conditionibus tolerandum putat: *Secundum*, mendacium Iudaicum nominat. Nunc, quum de primo nulla sit controversia: *Tertium* Buddeus ipse sua in *disquisitione* omiserit, & in *Introductione* p. 269. Ebrais receptum fuisse dubitet, restat, ut de secundo præcipue disputetur. Quod ipsum vero Waltherus conceptis verbis *mendacium Iudaicum* nominavit. Buddeus pro *veritatum divinarum complexu* venditat. Alter igitur ab altero dissidet. GLASSIVS eadem illa Cabbalæ genera

nera constituit. *Nequaquam*, inquit, hoc loco de Cabbala  
vera, pura, & genuina loquimur, quoniam aliud, quam mysticus  
Scripturarum Sacrarum intellectus est -- sed de Cabbala In-  
daica, spuria, impura, anili, & febriculosa. Dupliciter autem  
potissimum ea vox usurpatur (1) de Lege oretenus tradita, seu  
acroamatica, quam dicunt esse expositionem Legis scriptae &c.  
(2) De abstrusori doctrina, & mysteriis, quae Ebraei tum sanio-  
res & antiqui, tum recentiores superstitione in Mosis, & Pro-  
phetarum scriptis investigant, idque variis rationibus, (scil.  
per Gematriam, Notaricon, & Temuram,) &c. Generatim igitur  
Cabbalam in puram & impuram, distingvit, sic tamen, ut  
illam, quam pro pura venditat Buddeus, & acroamaticam  
salutat, manifesto ad impuram, anilem, & febriculosam re-  
jicit. Tum vero alterum impuræ Cabbala genus, quod Ge-  
matriam, & reliquas species, involvit, non obscure impro-  
bat, ac dissimilat, quoniam in eruendo vero SS. literarum sen-  
su non ad literarum apices pro lubitu mutandos, numeran-  
dos, transponendos, sed alia remittamus subsidia, & elemen-  
taria illa Scripturæ expositio, olim & nuper, fanaticas opinio-  
nes, pepererit in Ecclesia. Vid. ejus *Pbilof.* S. p. m. 302. & 312.  
*PFEIFFERVS in Crit.* S. p. 213. cum superioribus Theolo-  
gis consentit. Dividit enim Cabbalam primo in *Theoreticam*,  
& *Practicam*. Hanc, suis cum auctoribus, ad orcum relegandam  
esse docet. *Theoreticam* in *artificialem*, & *inartificialem* sub-  
dividit, ad illamque Gematriam, Notaricon, & Temuram:  
ad hanc oralem mysteriorum traditionem refert. Ultram-  
que improbat, & *artificialem* ullius esse posse auctoritatis  
apud cordatores dubitat: *inartificialem* tuto asseri posse negat.  
Omnem igitur Cabbalam, sensu famosiore acceptam, Pfeiffe-  
rus improbat. *CARPZO VIVS in Introd. ad Theol. Jud. c. VI.*  
hario latur quidem veteres Ebraeos omnem Theologiam in

Breschith, & Mercabhalh divisissæ, & illi quidem elementa vel initia religionis, huic vero mysteria illiustribuit. Sed enim vero a) hariolatur tantum, Ebraeos sic divisissæ Theologiam suam, non autem velut ratum quid, exploratoque verum proponit. Deinceps b) non specie, sed modo tractandi, distincta fuisse docet. Nec enim alia capita operi Breschith, alia operi Mercabhalh, sed eadem potius utrius vindicat, utut diversimode tractata, & nunc literaliter explicata, nunc mystice ad Christum accommodata. Illa enim, nempe Breschith, (verba ipsius Carpzovii sunt) pro objecto habuit religionem, prout in Scriptura se DEVVS cognoscendum, colendum que revelavit, quo omnes fidei articuli de DEO uno, & Trino, de Creatione, de peccato primo, & orto, de Messia, de justificatione &c. omnes item NB. leges, tum morales, tum NB. ceremoniales, tum forenses, quatenus observanda in Ecclesia & republ. Israëlitica erant, pertinent; hec vero mere fuit p. 55  
supradicta seu mystica, & pro objecto habuit mysteria, NB. in religione illa, qua maximam partem typica erat, imprimitur in NB. forenum & ceremonialium legum observatione recondita, Denique c) utrique veteris Ebraeorum Theologiae parti idem Principium, eundemque fontem, Scripturam nempe Prophetam, assignat. Buddeus contra (1) non ut conjecturam, sed ratam, certam, in dubiamque sententiam, suam de Cabbala doctrinam proponit. (2) Alia capita, seu objecta, Scripturis Mosaicis, alia Cabbalæ, tribuit: (3) Exotericam sapientiam e Scriptura: Esotericam, seu Cabballam, ex oral traditione derivat. Non igitur idem utriusque Principium agnoscit, sed cum a Carpzovio, tum a reliquis Theologis manifestius, quam quod negari possit, dissentit.

§. XV. Vidimus Buddei de Cabbala opinionem non esse Lutheranam, & Noßram. Sequitur ut ostendam, ean-

dem esse II.) mere Iudaicam. Quod quidem nullo negotio probo. Si quis enim querat, quid Judaeorum sit Cabbala? respondeo cum Walthero Sen. quod sit mendacium Iudaicum, de lege oretenus tradita, quam dicunt Iudei expositionem esse legis scripta, eamque Moses diebus illis XL. totidemque noctibus, in monte Sinai, ex Dei ore didicisse, & sine ea multa legis precepta ambigua, obscura, & interdum pugnantia, intelligi non posse, eamque in Talmud postea relatam perhibent, in Offic. Bibl. p. m. 524. Eadem docet B. in Introd. ad Hist. Philos. Ebr. §. XIII. p. 35. Moses, inquit, dum rerum omnium, origines, reipublicæque Israëlitica primordia, gentisque hujus historiam, literarum monumentis consecrare secum constituit, simul precipua sapientiae capita inseruit, & ita ad seros ea propagavit posteros. Sunt vero, qui alia quedam, & sublimiora quidem philosophiae capita, que ab ipso DEO edocitus fuerit, eum viris quibusdam sapientie laude inclytis, orali traditione ad posteros propaganda, commississe autumant, eo quod hac ita comparata erant, ut a vulgo iuto quidem ignorarentur, a sapientiae autem arcane amatoribus conservari mererentur. Hinc itaque quemadmodum a tanto Philosophiae vera restauratore ipsa Ebraeorum Philosophia Mosaica dicta est: ita duo Mosaiæ Philosophiae hinc resultant genera, que vocibus ex Philosophia peripatetica petitis insigniri possent, ut acromatica una, altera philosophandi ratio exoterica vocaretur. Illam etiam Cabalam dicere moris est. Quæ posteriora verba satis ostendunt, Eum non modo alienam, sed suam quoque ipsius, de Cabala pura (hanc enim, non impuram, l. c. definire voluit, quod tota libri strutura arguit) sententiam scripsisse.

§. XVI. Est III.) Papistica analoga. Constat enim Pontificios docere, quod, præter Scripturam S. seu verbum Dei scriptum, aliud quoddam non scriptum, a priori specificè di-

ver-

versum, pari tamen pietatis affectu, ut Tridentini loquuntur, recipiendum, admitti debeat, quod & ipsi traditionem, seu Cabbalam Ecclesiasticam, nominant. Breviter ac rotunde B. Waltherus l. c. p. m. 545. Quod Pontificis in Ecclesia Christiana sunt traditiones, id Ebreis in Synagoga est Cabbala. Ad stipulatur Walthero, e Pontificis ipsis Bonfrerius, in Præloqu. ad SS. f. 80. Cabbala, inquit, NB. non admodum dissimilis est Ecclesiae traditionibus. Nam uti divina traditio in Ecclesia est quarundam rerum ad fidem pertinentium per manus tradita, receptaque notitia; ita Cabbala apud Ebreos in genere definiri potest, arcanorum, & reconditorum S. Scripturae mysteriorum per manus tradita receptaque notitia. Ut ergo Papistæ traditionis nomine, veritatem non-scriptam, ab Apostolis acceptam, qualsique per manus traditam, scriptæ contradistinctam, imo contrariam, ejusdem tamen cum scripta veritate originis & auctoritatis intelligunt; ita etiam Observator, quod supra ostendimus, idem statuit docetque de Cabbala.

§. XVII. Quæ ipsa vero opinio est IV.) in verbum Dei scriptum, ejusque Θεοπνευσίαν injuria. Etsi enim hoc constantissime neget Observator, & interpretetur calumniam facili tamen negotio, conceptis ejus verbis ostendi potest. Primo enim α) pro illius sententia, Cabbala non e Scriptura, sed Scriptura e Cabbala manavit. Accipe verba p. 8. Obs. Hal. Pauli ad Ebreos epistola, nisi me omnia fallunt, ex Cabbala ipsa Symbolica fluxit. Quicquid ergo Apostolus ad Ebreos scripsit, id e Cabbala vel majorum orali traditione, non Spiritus S. afflatus, vel inspiratione immediate, & primum accepit. β) Per eandem Scriptores divini insinulantur erroris. Scriptores enim N. T. dicta V. T. in quibus NB. de Messia non agitur, itidem ad Messiam retulerunt, ideo quod Cabbalam Ebræorum secuti sunt, verba sunt Observ. p. 9. γ) Catholica,

& ad omnes partes extensa Scripturæ *Θεοπνευστicæ* manifesto laeditur. Scriptores enim N. T. *interpretationes*, *allegoricas* quasdam, more in gente Ebraea recepto i. e. Cabballistico NB. ipsi excogitarunt l. c. p. 10. Atqui vero qui hoc, aut illud ipse excogitasse dicitur, eum initio super hoc illove cogitasse, deinceps cogitando novum quid adinvenisse, postremo adinventum sibi ipsi jure, meritoque, vindicasse oportuit. Excogitandi enim vocabulum primam, propriamque rei nove productionem tam arte involvit, ut nulla subtilitate ab ea separari possit. Si ergo Apostoli ipsi excogitarunt allegoricas quasdam interpretationes, sequitur, quod non modo super rebus divinis cogitaverint, sed & cogitando suis ipsorum viribus eadem sibi acquisiverint, & adinventas ingenio suo ac voluntati vindicare potuerint. Quo posito, non est, cur audiamus Petrum, negantem, hominis voluntate prophetiam allatam esse. Qui enim ipse excogitare potest divina, is Spiritus S. suggestione non indiget.

§. XVIII. Huc spectant Observatoris verba, quæ p. 10. prorsus temerarie in chartam conjectit: Unde, inquit, *Paulo constabat praeter ceteris Magis, Iannem atque Iambrem, Moysē opposuisse, nisi e Cabballa?* Unde *Jude Apostolo constabat Michaelem angelum cum diabolo de Mosis corpore disputasse, nisi e Cabballa?* 2. Tim. III, 8. *Jude v. 9.* Et nisi Libro quodam Propheticō hauxit, quæ idem de Prophétia Enochī memorat, sine dubio ex Cabballa, ea scil. quæ factorum, aut dictorum quorundam custodiebat memoriam, accepit. Ex ead. Cabballa Stephanus didicit, quod de Mose norat, eum in omni Egyptiorum doctrina fuisse institutum Act. VII, 24. &c. Numne vero Scriptores sacri, nihil consignare literis potuerunt, nisi aliunde acceptum, vel a majoribus traditum? Unde ergo Mosis de creatione hujus universi, de multiplicatione

tione generis humani, de lapsu ejus, & eluvione orbis, aliisque id genus, constituit? Numne ista quoque hausit e Cabbala? Ecquis igitur inspexit rudem indigestamque molem? quis ordinem, modum, rationemque condendi omnia, observavit? quis massæ in hominem transformandæ tunc adstitit? Num ad *Præ-Adamitarum* somnium confugiemus, ne desint, a quibus accepisse Adamum, & posteris tradidisse, dicere possimus? Quid igitur Θεόπνευσια præstítit, vel ad adorandas Scripturas contulit, si argumenta historica e Cabbala acceperunt? Eat vero nunc Paulus, & doceat: πάσου γενοφύη, & qua voces, & qua sententias, & argumenta, esse Θεόπνευσον. E Cabbala enim, non e divino afflato, acceperunt Apostoli, quicquid rei gestæ, de qua in Scripturis V. T. non legitur, tradiderunt in Novo.

§. XIX. Sed enim hæc omnia tam frigida sunt, & jenza, ut nulla confutatione indigeant. Nam si verum est, N. foederis scriptores historias mutuatos esse a Cabbala, tum sequitur eas vel *pura*, vel *impura* deberi. Si *pura*, ostendatur, velim, quo id constet indicio? Responderit forsitan Observator e T. I. Hal. Obs. XVI. §. XI. p. 225. Qui felici successu NB. vera Cabbala vestigia inquirere & detegere velint, hos Cabballistarum placita cum vestigiis hujus doctrine in S. S. & monumentis veterum Philosophorum occurrentibus diligenter contendere oportere: Vel, ut breviter de re disputat p. 82. Moderam. Si de Theologicis questio est, ad Scripturam S. cuncta exigenda erunt.

§. XX. Verum, si hoc; sequitur, quod id demum pro Cabbala pura particula fuerit habendum, cuius vestigium quoddam apparuerit, vel in veteri Philosophia, vel in Scriptura. Atqui auctor illas Apostolorum narrationes e Cabbala derivat, de quibus nec in Scriptura V. T. nec in monu-

-men-

mentis veterum Philosophorum, nec denique apud Cabballistas recentiores, vel vola, vel vestigium apparet, v. g. de Janne, & Jambre, de contentione Michaelis Archangeli cum Satana, super corpore Mosis, aliaque id genus. Quo jure igitur eas pro Cabballæ purioris fragmentis, aut reliquiis, venditat? Numne obtinere potest inter duos plures scriptores super argumento quodam consensus, quando vel alteruter, vel unus & alter, eodem de argumento taceret? Stolidum, & a sanæ mentis judicio alienum est, dicere, isthæc omnia, quæ referuntur ad Cabballam, in Scripturis saltem novi fœderis reperiri. Quæritur enim de consensu *cum Scripturis illorum temporum*, quibus Cabballa pura dicitur floruisse, & *juxta Scripturam* obtinuisse. Atqui vero non *juxta Scripturam* sub *Novo*, sed *juxta Scripturam*, in *V. Testamento* dicitur obtinuisse & floruisse Cabballa purior. Nisi ergo cum Scripturis *V. Testamenti* hujus ostendatur consensus, Cabballæ veræ, ac puriori narrationes istæ, & facta historica vindicari non possunt. Sed nec *impura* debentur, cum ipse fateatur *Auctor*, pro *inficietis & nūgis* ea reputari debere, quæ ad impuriorem, atque a *Judeis* corruptam, Cabballam sint referenda. Ergo omnia illa *neutri* debentur Cabballæ, illique divinarum Scripturarum auctoritatem, & adæquatam Θεοπνευστῶν, manifesto lèdunt, talia qui docere ac defendere sustinent. Quicquid enim vel ab ipsis Scriptoribus excogitatum, vel incertis majorum traditionibus acceptum, vel Cabballisticis denique erroribus infectum, inquinatumque est, id pro puro, sanctoque Dei verbo haberi non potest.

s. XXI. Cum proinde Scriptores *V. T.* nihil omnino ē Cabballa petierint, sequitur, *Orationem Dominicam* sigillatim ab ea derivandam non esse. Primo enim i) Cabballa *pura*, Nostratium Theologorum sensu accepta, i. e. *Symbolica*, vel sen-

sensus Scripturæ mysticus, t. t. culpa docentium in Ecclesia, prorsus interierat, ita ut interpretatio Scripturarum restituenda per Christum, lex a corruptelis, & cavillationibus Pharisæorum vindicanda esset. Observatoris autem sensu si capiatur Cabbala, inquinatissima, & corruptissima fuit, ac somniorum & commentorum humani ingenii complexus. Imo vero Cabbala *dogmatica pura*, ad quam tamen referri debet doctrina *Sephirotica*, in rerum natura nunquam fuit. Quis ergo dixerit, ab ea bene precandi formulas Servatorem mutuatum fuisse? 2) Christus nullibi Cabbalam laudavit, aut se ad eandem recepit, sed potius traditiones quavis occasione gravissime reprehendit. 3) Cabbala *pura*, sensu sano, nihil est aliud, quam sensus Scripturæ mysticus, typi ad antitypum, umbræ ad corpus, accommodatio, difficultorum denique locorum idonea explicatio. Nihil autem in tota precatio formula de typis, aut figuris, aut umbris, aut mysteriis: plana sunt omnia, & ad simplicissimi jusque captum accommodata. 4) Quicquid sigillatim de Sephiroth ex Ebraeorum mente traditur, id non ad reliquias *Cabbala purioris* ac veræ, quod adversario est persuasum; sed ad gentilium fordes, petitaque a *Platone* dogmata, referri oportere, invictis rationibus ostendit *Excell. Bücherus l. c.* Addatur *Cl. Streso in Medit. ad c. II. Coloss.* Denique 5) si Oratio Dominica doctrinam Sephiroticam in compendio exhibet, cum *Godefrido Oleario in Observ. Philos. ad Matth. cap. VI.* merito miror, cur nihil ad doctrinam Sephiroticam pertinens invenerit vir doctissimus in *primis* Orationis verbis: *Pater noster qui es in cælis*, quod tamen non difficile fuisse, cum *Lorienſi inter Sephiæ sextæ*, que est pulchritudo, cognomenta, decimo septimo loco istud, *Pater noster qui es in cælis*, referatur. *Quod si nulla ipsi ratio succurrat, cur sexta Sephi-*

D

ra

ra tribus prioribus debeat preferri; hoc ipsum monere illum debuit, nihil hic Sephiroth Iudaorum loci esse, attributorum vero divinorum, que illi per Sephiroth explicabant, non posse non aliquam mentionem fieri in Oratione cum Deo, ut adeo infirmum inde argumentum duxeris ad probandum, Christum istam doctrinam, ut a Cabalistis modernis proponitur, vel caluisse, vel ad eandem respexisse.

S. XXII. Sed pœnitet me prope modum argumenti de Cabbala, de quo prolixius, quam pro voluntate, agendum fuit, non alia de causa, quam ut eam a me calumniam amolirer, ac si nulla necessitate compulsus nimium Cabbalæ studium notaverim in B. & innocentissimum virum publico scripto, ceu stricto quodam ense invaserim, & contentionem non necessariam, excitarim. Nam quum divina Scripturarum auctoritas, per illam de Cabbala sententiam, nec parum, nec obscure, laedatur, credo, bonis, æquisque, judicibus facile me probaturum operam, quam in examinanda ea, pro eo, ac debui, collocavi. Rectius autem, & utilius fuerit, sanctissimæ formulæ cum Scripturis V. T. consensum ostendere. Ex his enim, velut ex fonte quodam, & scaturiente, omnes petitiones Orationis Dominicæ rivulorum instar fluxisse, pridem observavit decus olim Lips. Acad. Zach. Schilterus in Exetasi Catech. Min. p. 344. Prima, inquit, deducta est ex Psal. XCIX. glorifica nomen tuum inter omnes gentes, perinde atque inter nos glorificasti. II. Ex Jerem. XXXI. converte me Domine & convertar, quia Deus meus es. III. Ex Psalm. CXIX. dirige Domine gressus meos in viis tuis, secundum verbum tuum. Et ex Psalm. CXLIII. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Spiritus tuus bonus educat me in viam rectam. IV. Ex Prov. XXX. Divitias & paupertatem ne dederis mibi Domine, sed citoq[ue]t pro saltem.

V. Ex

*V. Ex Psalm. LI. Misere mei Deus secundum magnam &c.  
VI. Ex Psalm. CXLI. Ne sinas cor meum inclinare ad malum,  
&c. item Psalm. XVII. Custodi animam meam ab insidiati-  
bus illi. Siracid. XXIII. Averte appetitiones, si sit et inordi-  
natas. VII. Ex Psalm. CXLII. Educ animam ex carcere,  
perinde atque Carolus Magnus mortiens, libera me Domine in-  
quit, a vinculis aeternæ mortis. Haec tenus Schilterus, cuius  
opinio tanto majore excipi applausu meretur, quanto cer-  
tius constat, sanctissimas quasque preces, utpote Zachariae  
Mariæ, aliorumque in N. T. verbis Scripturarum V. T. con-  
textas fuisse. Cui tamen copiosius demonstrando immora-  
ri nolo, sed potius ad ostendendam Orationis Dominicæ au-  
toritatem, dignitatemque progredior.*

§. XXIII. Etsi enim Servator noster hanc formulam  
precandi non modo discipulis, sed aliis quoque auditoribus,  
semel iterumque proposuit, ac commendavit, nihilominus  
tamen hoc tempore non desunt, qui negent, hanc orandi  
formulam necessariam esse in Ecclesia, ad eamque recitan-  
dam homines præcipue obligari. Anabaptistas eadem non  
uti, fatetur ipse G. Arnoldus, P. II. Hærefol. L. XVI. c. XXI. §.  
34. f. 281. ejusque testes citat Bullingerum in Anabapt. larv. p.  
48. seq. Hornb. in S. C. p. 343. seq. Seiler. in Anab. larv. p. 28. seq.  
Tremuli seu Quackeri quantopere nauseant ad eandem, re-  
ferunt Th. Eduardus P. II. Gangr. p. 120. & P. III. p. 92. nec non  
Honor. Reggius de statu Ecclesie Britann. p. 38. 71. 107. Cau-  
santur nimirum, eandem infirmioribus, nec satis in doctri-  
na confirmatis discipulis, tanquam exemplum aliquod, & in-  
star, fuisse propositum: provectiores ad eandem alligatos  
non esse. Vid. Philalethes c. W'nicklerum p. 103. & Arnoldus P. II.  
L. XVII. c. XX. n. 40. Certe Independentes, ut vocantur, in  
Anglia, eam negligunt, & in sacrorum cultu omittunt, de-

quibus vid. Pantheon Entbus. f. 22. Ea rei indignitate motus  
*Jo. Espagnius* peculiarem scripsit Apologiam pro Oratione  
 Dominica, ejusque in Sacris retinendo usu, quam anno 1647.  
 Londini Gallico & Anglico sermone confectam vulgavit,  
 quaque XII. dissentientium argumenta, vel potius effugia, re-  
 movit. Cumque aliquando nobilis matrona infantem sibi  
 recens natum sacro ablui lavacro percuperet, diu quærendus  
 fuit sacerdos, qui cum baptismate recitationem precationis  
 Dominicæ conjungere vellit, eo usque in desuetudinem ve-  
 nerat ritus, sanctissimam formulam in sacris pronunciandi.  
 Vid. Pantheon in XXX. histor. Zugaben p. 228. seq. Malus ni-  
 mirum genius, ut bona omnia, sic Orationem Dominicam,  
 ejusque recitationem, & usum ferre non potest. Memora-  
 bile est, quod Dannhauerus refert im Scheid- und Absag-Brief  
 p. 135. Ich erinnere mich, inquit, einer Geschicht, der enthal-  
 ben Herr M. Zierlin Senior und Pfarrherr der Kirch zu Roten-  
 burg an der Tauber, vor etlichen Jahren an mich umb Beyrath  
 geschrieben, von einem neunjährigen Knaben, der eine solche  
*αυτιποίησις*, und Widerwillen ob dem Gebet des Herrn, dem  
 Heil. Vater Unser, und Apostolischen Glauben gebaßt, daß man  
 ihn weder mit guten noch bösen Worten, weder durch Fasten  
 noch Rutben noch Streich dieselbe nachzubeten, und auszu-  
 sprechen bewegen können, der auch, wenn er ermeldte Gebet  
 von andern gehöret, erbläßet und erschrocken &c. Haec tamen  
 Dannhauerus.

§. XXIV. Suspecta quoque sunt Hedingeri verba, quan-  
 do ad illud Servatoris Matth. VI, 9. ihr sollt also beten, ita com-  
 mentatur: daß es ein Formular bleibe NB. nicht eben der Wor-  
 te, sondern was, für was, und wie man beten sollte. Eandem  
 enim in sententiam Brownistæ in Anglia contendunt, datam  
 esse Orationem Dominicam, non ut precandi esset formula,

v. 100

qua

qua utamur, sed ut pro exemplari solum inserviret, doceretque quomodo, & qua methodo, precationes nostras compонere, & inst tuere debeamus vid. eorund. *Apolog. ad Oxoniens.* Θ. IX. apud Hornbeck in S.C. p. 794. Multi etiam hoc tempore in Germania docent, homines ad certas precum formulas non asuesieri oportere, unde & Orationem Dominicam fere negligunt, & libellos precatorios improbant. Mihi certe ab hominibus fide dignis relatum fuit, sese *Halis Saxonice* interfuisse sacris vespertinis, in iisque cum alia quædam, tum præcipue Orationis Dominicæ usum desiderasse. Huc spectat, quod *Höpfnerus*, Ecclesiastes aliquis in Silesia, detrectavit eam pro concione præmittere textui tractando, quo de vid. *Vnschuld. Nachricht. ad A. 1702. p. 657.*

§. XXV. At enim vero de hac formula ita statuere debemus, eandem esse perfectissimum bene precandi compendium, ac instar, in quo cum ratio insinuandi nos in patris cœlestis gratiam, tum rerum omnium complexus nobis fitur, quas modo cunque a DEO vel petere, vel expectare debemus. Quæ enim nostra est post lapsum infirmitas, sape nescimus, quid vel petamus, vel petere debeamus. Christus igitur infirmitati nostræ succurrit, talemque præscriptis formulam, quam sequi tuto, ac respicere possumus. Hanc vero non modo Apostolis in monte Matth. VI, 7. seq. sed & in agro collectæ, ac circumfusæ multitudini, proposuit Luc. XI. observantibus *Chemnitio in Harm.* & *Sauberto in Palastra Theol.* Philos. p. 127. manifesto indicio, jubere sese ac velle, ut ab omnibus præcipue recitetur. Præcepti enim verba sunt ista, quum dicit: *Ad hunc modum orate Matth. VI, 7. 8. 9. seq.* Quam arcte igitur homines in conscientia obligantur per illud: *Quum oraveris, non eris quemadmodum hypocritæ orantes in publico:* Vel illud: *Orantes ne sitis multiloqui:* tam

D 5

arcte

arcte quoque obligamur per hoc : ἡτος προσέυχεσθε, ita  
orate, l.c. v.9. Quibus verbis simul ad observationem for-  
mulae a Servatore præscriptæ adigimur. Hæc causa quoque  
est, quamobrem Oratio Dominica veteribus nunc *legitima*,  
nunc ordinaria, nominatur. Tertullianus enim de fuga in  
persec. In *legitima*, inquit, *Oratione cum dicimus ad Patrem*:  
Et ne nos inducas in tentationem &c. Idem in *L. de jejun.adv.*  
*Psychicos c. XV.* sub finem, *ordinariam Orationem* appellat. Et  
Augustinus Serm. 126. de tempore: *Moneo vos, charissimi, ut*  
*precem legitimam, Patri & Deo offerendam, ante discessis.*  
Et si enim omnino non solum *liceat*, sed & *deceat* Christianos  
e bono cordis thesauro bonas meditationes & precatio[n]es de-  
promere, & formulis vel sponte subnatis, vel proprio judicio  
*excogitatis, alloqui patrem coelestem, minimeque probanda sit*  
vel *Bassili* illius, quem Alexius Comnenus ignibus damnavit,  
vel *Messalianorum*, vel *Edmundi Cantuariensis*, opinio, qui sola  
*Oratione Dominica* utendum esse contendebant, de quibus  
vid. *Bona in hymnod. dr. v. p. 431.* addatur *Gerb. LL. CC. T. III. de*  
*Evang. S. 72.* & *Franzii schola Sacrif. Disp. XX. n. 20.* omnium  
tamen formularum haud dubie princeps est illa, quam ipse  
Filius e sinu aeterni patris attulit, ita ut tum demum laudem  
mereatur precatio, si hujus ad exemplum composita fuerit, &  
tanto quæque sit melior, & acceptior Deo, quanto ad illius ra-  
tionem accesserit proprius. Hinc *Tertullianus de Orat. c. 9.*  
precum omnium fundamentum vocat: *Premissa, inquit, le-*  
*gitima, & Ordinaria Oratione*, quasi fundamento, acciden-  
tium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus pe-  
titiones. *Namque, ut Cyprianus loquitur, quæ potest magis*  
*spiritualis esse Oratio, quam quæ a Christo nobis data est, a quo*  
*nobis & Spiritus S. missus est?* *Quæ vera magis apud Patrem*  
*precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolatæ*  
*est?*

est? Ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit & dixerit: rejicitis mandatum DEI, ut traditionem vestram statuatis. Oremus itaque, sicut Magister docuit. Amica, & familiaris Oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi Orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba, cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et quum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba ponamus. Nam cum dicat, quia quodcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis: quanto efficacius impetramus, quod petimus, si petamus ipsum oratione. De excellentia & perfectione orat. Dominicæ vid. plura ap. Bellarm. de BB. 00. L. I. 4. Quanti habita sit in Veteri Ecclesia, HILDEBRANDVS tradit in *Rituale orantium*, c. IV. n. II. LVTHERVUS quanti fecerit, ipse aperit in *Disput. III. c. Antinomos* n. 25. Hanc, inquit, *Orationem oportet ab Ecclesia tota orari usque in finem mundi, & a quolibet sancto usque ad mortem*. Peccant igitur dissentientes, non quod licere putant, pro arbitrio & absque formulæ orare, quod facile damus; sed quod existimant *aliter non licere*: non, quod arbitrarias formulas cum Oratione Dominica conjungunt, sed quod hanc, divinitus licet præscriptam, improbant.

§. XXVI. Sat multa, opinor, de dignitate, & usu formulæ. Ad partitionem ejus progredior, quam doleo his temporibus, nulla urgente necessitate, lacesci. Utut enim constanter huic creditum in Ecclesia fuerit, Orationem Dominicam *Septem petitionibus contineri*, nunc tamen idem ille, quem supra laudabam, Philologus, in *Observationibus ad Matth. annis abhinc aliquot, sparsim, hoc autem vertente, conjunctionem, editis, id ipsum cœpit vocare in dubium, causatus,*

verba

MISUP

verba illa: *Sanctificetur nomen tuum*, non peculiarem petitionem absolvere, sed ad doxologiam referri oportere. Recito verba: *Si stricto*, inquit, & magis recepto significatu, quo contradistinguitur laudationi, accipienda sit petitio, modeste cordatoribus considerandum propono, an illa, que primam petitionem absolvere videntur plerisque verba: ἄγιον Θέων τὸ ὄνομα στο, *sanctificetur nomen tuum*, non laudibus potius extollentis Deum sit, quam aliquid expetentis. Etsi vero hoc ipsum tanquam conjectaram, non ratam, firmamque sententiam proponat, videtur tamen hac modestia non alio consilio usus, quam quo eam imprudentibus facilius persuadeat, & quandam elabendi rimam habeat, si forte moneatur a quodam. Inter artes enim, quas hoc tempore, ad veritatem laedendam, & disseminandas malesanas sententias adhibent homines, post pietatis speciem, etiam affectatam inscribendo mollitem, modestiamque retulerim, qua exploratissimi quiue errores studiosissime pinguntur, ac velut saccharo quodam conditi hominibus propinuantur. Ubi enim id agunt, ut vel aliquam veritatis particulam e medio tollant, vel bonum ordinem perturbent, vel institutum a majoribus acceptum aboleant, non statim quod corde premunt, candide aperiunt, hoc enim ab eorum prudentia alienum foret, sed *suspiciones, conjecturas, problemata*, proponunt, exploraturi velut, quam in partem id accepturi sint alii. Si nemo contradixerit publice, silentium interpretantur consensum, jamque pro veritatibus haberi cupiunt, quod antea suspiciones vocabant: Si fuerit, qui impugnet, suspiciones sepe, non ratas firmasque sententias, scripsisse, perhibent, meritumque censuræ rigorem favore modestiæ evadunt, omnem vero excitati dissidii invidiam in dissentientes conjiciunt. Meliora quidem mihi a Celeberr. Viro polliceor,  
quem

quem amice monitum ad sanam redditum esse sententiam confido. Id tamen, meo pro candore, dissimulare non possum, quod minime illa mihi vel suspicio, vel modestia, probetur, quæ veritati quoquo modo conflare potest periculum.

Non existimationis' meæ, aut famæ, quod poterat videri, quippe quam vel sola innocentia vitæ, ac morum honestate tueri possum, sed veritatis divinæ, & auctoritatis Librorum Symbolicorum, interest, ut ab *Observatoris* cuiusdam, qui, lenissimis etiam animadversionibus, vehementer lœsum se esse, putat, exceptionibus liberem, quæ de recta, germanaque, Orationis Dominicæ sententia, his ipsis in *Vindiciis*, disputavi. Utut enim facile appareat, Dissidentem meas ad rationes in suis *ad Matthæum notis*, hoc ipso vertente anno editis aculeatius, quam vel a jactata illius modestia expectaram, vel ipse scribendo merueram, respondisse, hoc tamen non perinde male me haber, quam quod, eum sua in opinione perseverare, intelligo. Nec enim, si quid judicare possum, nullius momenti res est, integrum diviniorem cœtum, quantum in se est, justa petitione multare, & in quotidiana precandi formula animos omnium recitantium dubios, atque incertos reddere, interpretationem vero totius, non dicam Lutherani, sed Christiani, orbis confessione firmatam, & inde a condita formula, serie non interrupta, ad nostra usque tempora propagatam, Librisque Ecclesiarum nostrarum Symbolicis comprobatam, denique nobis omnibus a teneris, quod ajunt, ungvicularis instillatam, deferere, ac impugnare. Hoc enim si reæ scriptum, factumque fuit, tum negari non poterit, & Ecclesiam per XVII. secula veram, reclamque sententiam, quotidianæ, ac necessariæ, precandi formulæ ignorasse, & nunc etiam toties errorem committere, quoties illud: *Sanctificetur nomen tuum*, vel tanquam *petitionem*, non *laudationem*, pueritie instillat, vel in Symbolis repetit, vel denique pro concione per Ministros explicat, ac defendit.

E

Imo

Imo vero hæc ipsa interpretandi novitas multos eam in opinionem adducere potest, ac si nulla nobis de sanctificatione nominis divini petitio incumbat, quum, *conceptis saltem verbis*, nulla nobis, in divino precum omnium compendio, solennique formula, sit prescripta. Quod ipsum, uti ne ipsum quidem Dissentientem facile probaturum confido; sic optarim, ab illa sibi sententia temperaset, que illam maxime omnium necessariam petitionem inter supervacaneas rejicere, si non omnibus, tamen infirmioribus, poterat videri. Mihi faltem res mali ominis est visa, quod hoc tempore, intra ipsius Saxonie fines, negatur, imperatam nobis a DEO esse *explicatam* sanctificandi nominis sui petitionem, quo tamen, si alias unquam, conceptis id verbis, seriis gemitibus, continuisque suspiriis, a DEO exorari debebat. Quapropter, quod unum facere possum, isti quidem huic inauditæ interpretationi publice contradicendum, pro recepta vero idoneis denuo rationibus propugnandum puto. Ac licet jam dum mente, ac cogitatione præcipiam, que mihi pro ea, quam nunc impertior, opera, expedita sit gratia, quum, *veritatem odium parere*, Comicus, etiam non-Chrifianus, me moneat; hac una tamen me ratione solabor, quod posteri, si qui futuri sunt, fatebuntur, erronea me novitatis expertem, antiqua veritatis tenacem, fuisse.

- I. Quod autem initio *sua me modestia* offenditum esse putat Dissentiens, in eo vehementer fallitur, quum invisum mihi esse non possit, quod in Eodem quam maxime requiro. Nunc enim litterarie me reipublice censorem, modo Domitiano, vocat, nunc *magnificam* mihi *jactantiam* tribuit, nunc *Sacrosanctum VII. petitionum numerum* a me defendi scribit, nunc *indicis expurgatorii* extensionem, nunc *librorum prohibitorum* augmentum, imputat mihi, totam denique scripturam aculeis, & nigro sale, respersit: que profecto cum jactata ab ipso modestia conciliari vix possunt. Hæc enim juxta *Auctorem Rhet. ad Herenium*, est *continens cupiditatum moderatio*, quam si semper opere ipso demonstrasset Dissentiens, ne haud

paulo

paulo pauciora in eo desiderarem. Sed & illud, meo pro can-dore, dissimulare non possum, displicere mihi omnem no-vandi pruritum, etiam *modestissime* tentatum. Datur & insi-diosa modestia, juxta illud *Venusti Poeta*:

*Plerumque modestus,*

*Occupat obscuri speciem.*

Quotquot enim arte quadam insinuare sententiam suam student in animos hominum, incedunt ἐν ταπεινοφροσύνῃ, *Col. II, 18.* qua voce Græci Latinorum *modestiam* exprimere solent. Et qui, si non *contra*, tamen *præter doctrinam*, quam didicimus, aliquid afferunt, hi utuntur χειροτολογίας, *Rom. XVI, 18.* quas revera nihil aliud esse, quam *affectionem* in loquendo, scribendoque *modestiam*, omnes Græcarum literarum periti fatebuntur. Non igitur est, cur tantopere sua de modestia glorietur Dissidentis, quum sola defendendis erroribus non sufficiat.

- II. Quod in Problematis liceat uni *modeste* ab altero *dissentire*, non diffiteor, *in thesi*, & qua rem ipsam. Hoc improbo, quod hoc tempore tantum non omnia in problematum cen-sum rejicimus, in quibus ab aliis impune cupimus dissentire. Chiliasmus, Terminismus, Pelagianismus, Synergismus, *inter problemata* referuntur, in quibus cuique liceat ab altero *mo-deste* dissentire. Nunc etiam illa, præter omnem necessita-tem, mota quæstio: num verba: *Sanctificetur nomen tuum*, formalem *petitionem*, an potius *Numinis laudationem* conti-neant? problematis accentetur. Ego vero nego, ac per-nego, de interpretatione *XVII. seculis recepta*, & *Symbolorum*, *in qua iura uiuimus*, *auctoritate* firmata, denique *ipso* *in contextu solidissime fundata*, nec sine *presentissimo infirmorum scandalo* deserenda, licere in utramque partem *Theologo disputare*. Quantam enim cunque bilem Dissidenti hæc accusatio moverit, certum tamen est, idque paulo infe-rius idoneis rationibus demonstrabo, hac interpretatione admissa, *virtualiter* negari, *petitionem sanctificationis nominis divini* *in illo precum omnium compendio nobis imperatam esse a*

*D E O.* Quod numne problematis loco debeat haberi, piis, cordatisque hominibus dijudicandum relinquo. Quia *Lutherus suis in Commentariis subinde usus fuerit modestia*, iis scilicet in locis, in quibus sententia Spiritus Sancti non perinde facile pvideri, ac inspici poterat, & quoad res nondum perducta erat ad liquidum, non ignoro. At vero, quod idem ille divinus Doctor in locis vel dogma, vel officium hominis Christiani necessarium spectantibus, ubi & plana fuit, ac obvia Spiritus Sancti sententia, & talis, quæ procal injury in analogiam fidei deserì non potuit, problematice disputarit, ejus nobis exempla postulo a Dissentiente ostendi. Locus 1. *Petr. III,* 20. multo est vexatissimus, & salva fidei analogia diversimode explicatus. Non igitur audebat *Lutherus*, interpretationem suam, tanquam indubitatam cuiquam obtrudere, quum ipse suspicionem potius, quam justam interpretationem putaret. Controversæ petitionis alia ratio est, que & cuiusvis Christiani quotidiana officia concernit, & verbis planis concepta est, & a sequentibus lucem, & a totius, quanta quanta est, Ecclesiæ confessione robur, accipit. Hujus ubi vera, germanaque sententia & cuivis insipienti, & cogitanti, se obtulit, & totius Ecclesiæ consensu, ac demum Symbolorum auctoritate, munita fuit, tum nego, fas esse Theologo societatem A. C. ingenuo professo, de eadem *problematicæ*, quanta demum cunque id fiat, modestia, disputare. Quid enim hoc aliud fuerit, quam & Lutheri, & totius Ecclesiæ, confessionem desplicere, & rectam utriusque sententiam in dubium vocare, & sibi multo, quam omnibus aliis, majorem perspicaciam arrogare, & imperitioribus offendiculum præbere, denique ad evertendam Symbolorum auctoritatem patulam portam aperire.

III. Negat eo se consilio modestia usum, quo suam imprudentibus opinionem faciliter persuaderet, quum huic instituto παρηποτία magis, & τὸ δογματικόν, quam modestia, conveniat. Ego vero in scholis Rhetorum adolescentulus didici, ad persuadendum non modo ξόγες, sed ἥθη etiam, requiri, reli-

Dis-

Etisque omnibus videndum persvasuro esse, ut *moratam orationem* præster, e qua post intelligentiam rerum probitas etiam, & benevolentia, reluceant. Hæc enim ubi consecutus fuerit, tum eum velut helepolin quandam habiturum esse, e qua, procul violentia, animos auditorum invadere queat. Vereor autem, ut his obtinendis aliud quid aptius, aut magis idoneum sit, quam *simulatio verecundiae*, quippe qua quis & suspicionem *studii novandi* a se removet, adeoque *probritatis* opinionem defendit, & aliorum potius judicio, quam suo, uti se velle simulat, eoque ipso tacite in aliorum animos se insinuat. Quapropter cuivis sententiam suam aliis persvasuro utrumque opus est, & παρηστά, in eadem asserenda, & probanda, & modestia, in eadem fraviter insinuanda, & commendanda. Neutrum quoque præteriit Observator, siquidem & sententiam suam, procul ambagibus, aperuit, & argumento non uno evincere studuit, & monitus etiam, eandem pertinaciter defendit, quod revera est παρηστάζειν, καὶ δογματίζειν; tum vero & modestiam præ se tulit, & cordatioribus judicium de eadem reliquit, eoque ipso facilius insinuare, ac persvadere tentavit.

IV. Quod autem affectata *modestia* significatione elabendi rimam, si forte moneretur a quoquam, quæsiverit Observator, usque adeo sinistre suspicatus non sum, ut etiam suspicionem meam suo ipsius facto nunc Observator confirmet. Quo enim prius refugit, aut ubi latibulum querit, quam in eo, problematice se, non dogmatice, disputasse, & suam cuivis sentendi, vel dissentendi libertatem, *velut ex gratia*, reliquisse. Nam quod ob tam leves rationes meas nulla sibi rima opus fuisse, sua pro modestia scribit, id quam vere, recteque ab eo jaclatum sit, tum visuri sumus, quando rationes cum rationibus conferemus.

V. At, inquit, qua veritas a me leditur, si in loci alicujus Scripturae interpretatione ita ab interpretationibus aliorum discedam, ut nihil eorum admittam tamen, quod Analogie fidei aduersetur.

E 3 Re-

Respondeo: Aut vera est Lutheri, & totius Ecclesiae huicdum recepta interpretatio Verborum : *Sanctificetur nomen tuum* : aut non est. Si non est; erroris per XVII. secula dominantis insimulabitur universa, qua patet, Ecclesia, insimulabitur Lutherus, Catecheseos auctor, insimulabitur denique Symbolum Ecclesiae purioris primarium, & quidem in capite religionis praecipuo, in formula precandi quotidiana, quam omnibus promiscue Christianis Dominus ipse conceptis verbis prescrivit, & in qua intelligenda nulli temere peccare licet, cum, qui adultus ne preces quidem suas intelligit, exauditionem precum sibi polliceri non possit. Si autem huicdum recepta interpretatio est recta, tum sese, sollicitando, ac improbando eam, lafisse veritate negare Observator non potest. *Gerhardos, Carpzovios, Schmidios*, aliosque, aliquando a Lutheri interpretatione recessisse, non nescio. Sed ab interpretationibus, clarissimo textui congruis, totiusque Ecclesiae consensu, & Symbolorum auctoritate, firmatis, recessisse illos, exemplo mihi unico ab Observatore postulo demonstrari. Calvius in *Calixto* ferre non poterat, quod hic formulam, sola nos fidei justificari, in gratiam adverbariorum omittendam esse censuerat, utut in Scriptura *κατὰ τὸ πνέον* non extet, & fidei nos justificari, simpliciter cum analogia fidei non pugnet. Quia vero existimabat *ο πάπιον*, eandem in Scripturis abunde fundatam, & symbolari auctoritate munitam esse, negabat, eam impugnandam esse a quodam, qui societatem A. Confessionis, & reliquorum symbolorum, bona fide profiteretur. Non igitur est, cur vel hujus, vel aliorum quoque auctoritate sese tueri studeat Observator, quem simile quid ab aliis tentatum unquam fuisse demonstrare non possit. Et quo tandem interpretum quorundam hoc Seculo, quod torum ad Indifferentium propendet, progressura esset protervia, si quidem cuivis pro libidine peregrinam sententiam his illis Scripturæ, ac Symbolorum, verbis, affingere liceret ? Neque vero non cum analogia fidei, oblique saltem, pugnat, Orationem Dominicam ex Observatoris mente

te interpretari. Aut enim petenda est sanctificatio nominis divini, aut non est. Si non est petenda, sequitur, eam omnino, ac simpliciter, nostra in potestate, esse, quod est *Pelagianum*, pugnatque cum Apostolo, dicente, quod DEVS operetur in nobis & velle, & perficere *Phil. II, 13*. Si est petenda, tum discere ab Observatore velim, numne in *Oratione Dominica* petenda, vel non petenda sit. Si non est petenda, sequetur denuo, formulam precandi, a Domino licet ipso præscriptam, non esse numeris omnibus abolutam, quod salva, quæ Christo deberur reverentia, statui vix potest. Si est petenda, ostendi mihi postulo, quibus demum verbis facere hoc jussi simus, quoniam illa: *Sanctificetur nomen tuum*, non petitionem, sed laudationem exhibere Observator contendit. Si dixerit: sub II. & III. prout vulgo numerantur, eandem contineri, tum obvertere mihi liceat, repugnare hoc non modo legibus bonæ interpretationis, sed ipsi etiam recte rationis judicio, quoniam necessario sequetur, Christum petitionem sanctificationis nominis divini *implicite*, quam *explicite*, verbis dubiis, & obscuris, quam propriis, & *distantiis*, injungere maluisse. Aut igitur largendum nobis fuerit, his ipsis verbis: *Sanctificetur nomen tuum*, petitionem nobis imperatam fuisse, quod Celeb. Observator impugnat; vel eandem plane nobis præscriptam hac in formula non esse, quod posterius cum analogia fidei conciliari non potest.

VI. In *Exegeticis* non semper dari certitudinem plenam & absolutam, facile largior. Scimus, quanti nodi, quantæ difficultates, alicubi sese objiciant. Veruntamen distinguenda sunt argumenta, & loca Scripturæ S. In sedibus enim doctrinarum, & argumentis præcipuis, dari certitudinem oportet, nisi *in Beatae Trinitatis sermonis Propheticæ*, ipsiusque adeo religionis, una cum analogia fidei, que in istis indulatur, labefaciare velimus. Cum autem Oratio Dominicæ, & caput religionis primarium, & officium hominis Christiani præcipuum, spelet, verbisque præterea planis, & perspicuis, sit concepta, quis in eadem interpretanda plenam certitudinem dari posse negaverit, nisi qui nodum in scirpo querere, aut fluctus in simulo movere, voluerit.

Quid enim opus est in veteratam, receptamque, de *septenario* petitionum numero, sententiam deserere, quæ 1) in verbis ipsius textus fundata, & 2) antiquitatis consensu firmata, & 3) Librorum Symbolicorum auctoritate munita, ac denique 4) Lutherò ipsi, hujusque genuinis discipulis, sociisque probata, & 5) in Ecclesiis, Scholisque nostris hucdum proposita fuit. Nec enim, quas, sua pro suspicione, ratiōnes allegat, ejus sunt ponderis, ac momenti, ut necessitatēm deferendā veteris sententiā possint imponere.

VII. Propius nunc accedamus ad institutum, & videamus, quidnam pro sua incrustanda, nostra rejicienda, opinione attulerit Observator. Ursinus nimirum, quod illa de VII. petitionum numero sententia *in verbis ipsius textus fundata, Ecclesie antiquioris, Lutheri, ac Symbolorum auctoritate firma*ta, denique nostris *in Ecclesiis, Scholisque recepta sit*. De his vero argumentis generatim sic statuit, quod horum omnium *solum primum argumenti vim habeat, reliqua ultra prejudiciorum dignitatem assurgere vix possint*. Hic fateor, valde mihi suspectam esse *prejudicii* vocem. Hac enim, *sensu fa-*  
*mosiore, pro in veterata quidem, veruntamen erronea, opinione,* vel pro ante capta sententia, *qua quis occupatus ad imbibendam veritatem inhabilis redditur, imo & tali, unde cui ali-*  
*quod enasci periculum potest, accipitur*. Eo autem numero totius Ecclesiæ consensum, & Symbolorum, in quæ juravit, auctoritates habere, num Doctori, societatem A. Conf. ingenue profitenti, convenire putes? Cum enim omnis Novatorum, maxime vero Halensem Jutorum, turba, de *pre-judicij abjectissime statuat, eademque veluti veritatis, inve-*  
*nientiae, vel admittendæ, remoras, & obstacula, studiosissime* fugienda esse inculcat, & ad ravim usque ingeminet, ac clamet, num quid, rogo, ad diminuendam Symbolorum auctoritatem excogitari aptius poterat, quam eadem in *prejudiciorum* numerum, gregemque, rejicare? Saltem non decebat

Theo-

IV

Theologum tam invidioso eadem nomine compellare, qui semel, iterumque, ad eorundem sese custodiam solenni jurisjurandi formula obligavit. Quod si pro se defendendo attulerit, sese *præjudiciorum* nomine intellexisse *res perpetua similiter judicatas*, tum equidem tolerabilius emerget sententia: at invicem opposuero, hanc ob causam ab iisdem minime recedendum fuisse, quum *rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritas vim legis obireat, & sectanda sit.* L. Nam Imperator 38. ff. de Legibus. Nec male Majores nostri, apud Dedeck. Vol. III. Consil. L. IV. f. 298. negant, Christiano fas esse, totius Christiani Orbis instituta, & placita imputare, es siehe keinem Christen frey, dasjenige zu ändern, was in der gantzen Christenheit üblich, und von vielen Jahren her gebräuchlich gewesen. Ergo nec temere deserenda, vel impugnanda erat interpretatio, qua tot seculorum, ac totius Antiquitatis, ipsorumque adeo Symbolorum, consensu firmata fuerat. Video Lutheri quoque interpretationem contemni, & inter *præjudicia* referri, cujusmodi ne Pontificios quidem ausos fuisse memini. Enarratio enim Lutheri in Catechismo, (verba sunt B. Wigandi in Orat. de Catechismo Lutheri in Scholis retinendo,) est analoga S. Scripturae, nec NB. est reprehensa hac tenus. Imo & NB. Pontificii instantiae ampleriquerunt expositionem. Tanta enim dexteritate hic Lutheri Catechismus scriptus est, ut Spiritus S. presentia, gubernatio, & artificium facile in eo appareant, & tanquam Christi donum pretiosissimum, post Sacra Biblia toti mundo exhibitus esse videatur. Addit: Harum rerum consideratio non est parvi momenti.

VIII. Sed enim omisso, de vocabulis, certamine ad formandum controversiae statum progrediamur. Contendit nimirum, ingenuaque fatetur, verba: Sanctificetur nomen tuum proprie non δέντω, sed δοξολογία esse, ideo, quia directe ad laudem Domini referri videantur, quod sit laudationis, non aque directe ad necessitates nostras, quod sit δέκτεως. Interim & laudationem, suo modo, dici petitionem posse, quia ut

F

laudan-

laudantis affectus nullus aliis sit, quam amor gloriae divinae,  
sic laudationem testari de desiderio illius amoris, quo quis glo-  
riam nominis divini latissime splendere discipiatur. Itaque si  
cui septenarius Petitionum numerus sacro-sanctus, & invio-  
labilis videatur, eum per novam explicationem suam retineri  
posse, sic tamen, ut aliquod discrimen inter petitionem imme-  
diata ad DEV M, & ad necessitates nostras, relatam relin-  
quatur.

IX. Quibus quidem in verbis mirabilis soleritatem, & artificii,  
specimen deprehendo. Nam & suum a *recepta interpretatione*  
dissensum propalam fatetur, & tamen eandem cum *nova*  
*fua explicatione* conciliare studet. Verba Orationis, suo  
modo, pro δέσμοις haberi posse largitur, & nihilominus δοξολογίαv esse, multis eam in rem allatis rationibus, contendit.  
Septenarium petitionum numerus per suam explicationem  
retineri posse existimat, & tamen verba: *Sanctificeatur nomen*  
*tuum, δέσμων* esse dissitetur, ac negat. Scilicet hinc rece-  
ptae interpretationis veritas, hinc invidiae declinandæ, ac  
εὐρήματος defendendi, cupiditas animum Aristarchi diverse  
trahebant. Nec enim mala causa indicium est, quod verba,  
quorum de sententiâ disputatur, aliquid petitionis involve-  
re, velit, nolit, concedere Dissentientem oportet, eti, pro-  
prie, accurateque loquendo, laudationem, quam petitionem,  
dicere malit. Nego autem, ac pernego, *de una, eademque*  
*formula dici utrumque & δέσμων, & δοξολογίαv, posse.*  
Longiore quippe a se invicem intervallo distant, quam forsitan  
Dissentienti persuasum est. Bene & sapienter Augustinus in Ps.  
CIII. T. IIX. Oo. c. 1171. Alia, inquit, est gratulatio (δοξολογία)  
alia Oratio, (δέσμοι:) gratulamur ex eo quod est: Oramus, ut  
sit, quod nondum est. Δοξολογίā enim est simplex gloriae divinae  
agnitio, & agnitæ celebratio: Δέσμοi est boni alicujus no-  
bis applicandi petitio. Illa Numinis laudem; hæc nostram  
salutem, & indigentiam respicit. Illa etiam in Angelos:  
hæc in homines tantum, cadit. Illa quandam DEI περιφρæ-  
tū, & descriptionem; hæc beneficii cujusdam consecutionem  
in-

infert. Denique petimus, quo deinceps celebrare DEUM queamus; differunt igitur ut *medium & finis*, nec si verba: Sanctificetur nomen tuum, sunt δοξολογια, eadem δεητια esse possunt.

X. At, inquieris, δοξολογia tamen desiderium gloriae involvit, & affectus laudantis est amor gloriae divinae. Sed respondeatur: Laudatio utique infert desiderium gloriae, sed non desiderium gloriae nobis applicanda, cuiusmodi δέησις requirit, verum simpliciter agnoscenda, ac praedicanda, quod etiam ab angelis procul omni, etiam minima, δέησως admissione, fieri potest. Itaque affectus etiam laudantis est equidem amor gloriae divinae, veruntamen non fruenda, aut nobis applicanda, sed potius simpliciter celebranda, cuiusmodi sicut ad petitionem vere talem, nullo modo concurrit, ita nec septenarius petitionum numerus per illam explicationem, quod nempe sint doxologia, salvus ac integer esse potest, quicquid etiam de affectu laudantis Dissentiens inspergat. Omnis enim petitio desiderium boni nobis applicandi, & a nobis fruendi, infert. Cujusmodi quum a laudatione, vel δοξολογia longissime absit, prompte sequitur, quod per amorem, vel desiderium gloriae Numinis in laudante, doxologia nullo modo in petitionem mutari queat. Aut igitur tota laudationis natura destruitur, eademque, ipso repugnante vocabulo, in petitionem mutatur, vel septenarius petitionum numerus simul evertitur.

XI. Frigidum est, quod excipitur: haec tamen manere discrimen inter doxologiam, & inter δέησων, quod in illa desiderium immediate ad gloriam DEI, in hac, ad necessitates nostras feratur. Quid enim? nonne desiderium, ut veniat regnum DEI, & fiat voluntas ejus, perinde ad gloriam DEI, ac ad nostri ipsorum necessitatem, spectat? Neget hoc Observator, si potest. Quod si nihil pro δέησεi, vel pro petitione stricte sumpta, haberi debet, quod desiderium gloriae divinae involvit, tum illæ quoque formulæ, adveniat regnum tuum, & fiat voluntas tua, petitionum proprie dictarum numero

mero fuerint excludendæ. Quo pacto tota demum Oratio Dominica in *δοξολογίᾳ* quandam poterat mutari. Sed & illud ferre in Observatore non possum, quod sua interpretatione Sanctificationem nominis divini *nōstris a necessitatibus excludere*, illiusque petitionem pro supervacua reputare videtur. Pridem hoc redarguit *Augustinus Tract. in Orat. Domin. T. IX. O.O. col. 1524.* Edit. Froben. Cum rogas, inquit, ut sanctificetur nomen *ipsius*, num quasi pro illo illum rogas, non pro Te? Intellige, & pro Te rogas. Hoc enim rogas, ut quod semper sanctum est in Te, sanctificetur in Te. - Ergo vides, quia cum optas, tibi bonum optas. Maximopere aliquando Patrem cœlestem orabat Filius, Servator noster, ut homines sanctificaretur in veritate sua, id est, verbo *Io. XVII, 17.* Qua interpellatione nihil, credo, fuisset opus, si sanctificatio nominis divini ad *necessitates humanas* non pertineret, quum nomen DEI, nisi per *Verbum*, ejusque debitam, cum explicationem, tum applicationem, inter homines sanctificari non posset. Denique illud: *Sanctificetur nomen tuum*, cum illis: *adveniat regnum tuum*, *fiat voluntas tua*, & qui-dem sub eadem habitudine grammatica in fontibus, h.l. con-jungitur. Infero igitur, *primum* illud non minus, quam *secundum*, vel *tertium*, nostras ad *necessitates* referri, nec *suo tantum modo*, quod Observatori perspicuum est, sed etiam *proprie*, accurateque sumpto vocabulo, justæ *deinsew* loco haberi oportere.

**XII.** Nondum vero abeunt in fumos, ut magnifice Observator jaεtat, quæ de antiquitatis circa septenarium petitionum numerum consensu, de librorum symbolicorum auctoritate, de Lutherò ipso, ejusque genuinis discipulis, sociisque, his ipsis in Vindiciis attuli. Illud enim desiderium, quod in doxologia occurrit, & cuius intuitu eadem *suo modo* dici petitionem posse Observator contendit, non est *bujusmodi desiderium*; quale in petitionibus, quomodounque dictis, adesse solet, ac debet, sed est mera intentio DEUM concelebrandi, ob quam vero *δοξολογία* petitionis naturam induere, vel petitio-

titionis nomine venire, ne quidem *suo modo*, potest. Quodsi ergo *δοξολογία* est hæc formula: *Sanctificetur nomen tuum*, nullo modo dici potest petitio, adeoque septenarius petitio-  
num numerus diminuitur, cœtusque divinior justa petitione mulctatur, & inaudita huicdum interpretatione offendit.

**XIII.** Ursoram ceteroqui *auctoritatem Symbolorum nostrorum*, quorum ad custodiam omnes sanctissima religione obligati sumus, quibus nova isthæc Observatoris interpretatio repugnet. Verum hic stomachosius respondet, *nondum eo re- dactam esse sanctissimam fidem nostram, aut juramenti, quo Symbolis obstringimur, religionem, ut in numeris ejus sit qua- renda integritas.* Meminisse autem Observator debebat, pro conditione rei, etiam *in numeris religionis integratatem querendam*, etiam *ad numeros juramenti obligationem ex- tendendam esse*. Siquis enim vel *duas* esse in Christo natu- ras, vel *duas* in Eucharistia res, vel *tres* in terris, *tres* in cœlis testes negaverit, num religioni sua constabit integritas? Quamvis enim in *numeris*, qua talibus, non hæreat religio, hæret tamen in rebus *numeratis*. Finge, esse hominem, qui DEUM esse Patrem, & Filium, & Spiritum S. ex iisque Pa- trem & Filium duo *ὑφιστάμενα*, Spiritum vero S. utriusque tantum virtutem, ut ut infinitam, non tamen distinctam a Pa- tre, Filioque, personam esse statuat, num quis putet salva re- ligione ternarium personarum numerum impugnari posse, aut num sufficerit, fateri, P. F. & Sp. S. esse DEUM, quin & Spiritum S. esse in D E O, hoc solum negare, quod *tres* sint in D E O personæ? Scio septenarium petitionum nu- merum, quo scommate utitur sua pro modestia Observator, *sacrosanctum* non esse, *quatenus est numerus*, ut ut, eundem multis in mysteriis, & typis adhibitum fuisse a Domino ne- queat negari: at *sententia* tamen VII. petitionum nobis de- bebat *sacrosancta* videri, quæ tamen diminuto numero, & una subtrahita petitione, salva esse non potest. Negato enim septenario petitionum numero, *virtualiter*, verborum, *San-ctificetur nomen tuum*, genuina sententia pervertitur, & sancti-

ficationis inter necessitates nostras relatio, ipsaque adeo sanctificationis expeditio impugnatur. Quæ omnia num salva integritate religionis fieri queant, piis, & cordatis hominibus judicandum relinquimus. De numero enim petitionum simpliciter spectato nemo disputat: ac dummodo singularum formularum germana nobis interpretatio relinquatur, seu *senarius*, seu *septenarius* petitionum numerus inde prodeat, parum curabimus. At quia male sanis formularum explicationibus admissis, quin ipsi quoque petitionum numerus vel diminuitur, vel extendatur, fieri non potest, hinc *septenarium* non temere ad *senarium* reduci oportere contendimus. Parum ad rem sunt, quæ de *ternario sacramentorum numero Apologie concessa*, aliis *improbato*, affert Dissidentes. Sub iis enim conditionibus, sub quibus *Apologia Penitentiam* dici *Sacramentum* posse largitur, ne nunc quidem, Tria statui *Sacramenta* posse, simpliciter negatur. Quod ad *Decalogum*, denarius *Præceptorum* numerus intemeratus manet. Per *Divisitionem*, quæcunque placuerit, nihil de illius integritate detrahitur, nec per dividendi *varietatem*, ut in *Oratione Dominica* per novam interpretationem, natura *præceptorum*, aut *formularum*, corrumperit, vel id, quod revera *præceptum* est, *præceptum* esse negatur.

XIV. Urgetur: *doctrinam nos LL. Symbolicorum acriter tueri, sed in quibusdam Scriptura locis explicandis libere nos ab iis pariter, & B. Luthero, discedere.* Sed distingendum hic fuerat inter *solidam*, *accuratamque Scripturæ interpretationem*, & *qualemque illius accommodationem*, vel etiam inter loca SS. ex *instituto*, & *ως ἐν παρόδῳ*, traditata. *Symbola, & Symbolorum auctores*, hunc illumve locum *Scripturæ aliquando obiter & in transcursu*, explicant, & ad hoc illudve *institutum* nude *accommodant*, ita ut ne intendant quidem eundem *accurate*, & *opera data* interpretari. Quo pacto si quis deinceps aliam viam ingredi, & *Scripturæ locum accurate*, sollicitoque *interpretari*, quam cum *Symbolis quomodounque accommodare*, maluerit, hoc ei per *Symbolorum auctoritatem* licet, utpote quæ sua loci ali-

alicujus qualicunque accommodatione nemini accurata ejus evolutione ac interpretatione interdicere voluerunt. Ostendendum autem nunc fuerat Aristarcho, quod Lutherus, & Confessores pii, verba illa : *Sanctificetur nomen tuum*, obiter tantum *accommodare*, non autem studiose, ac sollicite explicare voluerint. Quod quidem ad Calendas Graecas futurum est. Deinceps 2.) si quis vel maxime etiam in *justa interpretatione* loci alicujus recedere ausit a Symbolis, id tamen ei per religionem, qua se se iis obligavit, incumbit, ut cum iis in *summa rei* consentiat, & in *probatione* potius *sententia*, quam *ipsa sententia*, recedat, nec ita interpretetur, ut vel ratam, certamque Symbolorum sententiam, prorsus evertat, vel etiam, per obliquum saltem, fidei analogiam leadat. Quorum utriusque culpam vereor ut amoliri a se Aristarchus possit. Si enim in *controversis* verbis : *Sanctificetur nomen tuum*, doxologia inest, non *dēnōis* proprie sic dicta; sequitur, ut supra ostensum fuit, petitionem sanctificationis nominis divini nobis imperatam non esse, nec eandem nostras ad necessitates spectare, denique non VII. cum universa Christi Ecclesia, sed VI. pro voluntate unius Critici L. statui oportere petitiones. Quae quidem cum *υποτυπώσει* sanctorum verborum, & Ecclesiae ac Symbolorum consensu, manifesto pugnant.

XV. Sed, inquit, *interpretatio mea non ita vel nova est*, atque genuinis Lutheri discipulis inaudita, vel ab ipsius Lutheri explicatione aliena, ut propere in argumentum invidia & suspicionis apud alios fuerit vertenda. Etiam B. Jo. Franckium hymno vespertino; *Unser müde Augen-Lieder &c.* Orationem Dominicam coronidi loco imposuisse, & verba, de quibus disputatur, ita retulisse : *Vater droben in der Höhe, dessen Namn uns theuer und werth.* Subsistit : *Hac doxologiam babere, atque a nostra adeo interpretatione discedere, neget,* (Dissentiens,) *si posset.* Ego vero negare non dubito, quia possum. Primo enim rō *Uns appropriationem, & applicationem ad homines, infert*, cuiusmodi fere a doxologiis ab-

abesse solet. Deinceps quum verba : *Dessen Nahm unſt  
theuer und werth, ἐλλειπτικῶς* sint dicta, quod nemini non  
apparet; quæ nos, rogo, urget necessitas, ut cum Observa-  
tore voculam, *ist*, quæ est *indicativi*, ac non potius, *sey*,  
quæ est *optativi* modi, intelligamus. Sane non me unum,  
solumque, sententia defendendæ causa, sed plures alios sic  
accepisse, multis, iisque *Lipſia* impressis, editionibus demon-  
strare possum. In *Odeo enim Piorum*, in *Auroram*, *Tere-  
binthum*, & *Hesperum* distincto, cura Joannis Hechti P. L. C. &  
Ludim. VVachav. Lips. 1710. 12. typis excuso, legitur: *Vater &c.*  
*Dein Nahm' sey bey Unſt stets werth.* Item in der Geiſtlichen  
Riſfung zur Heil. Muſic, oder Leipzigischem Gesangbuch, Lips.  
sumptibus *Gottfried Hessi* vidue 1708. sic redditur: *Vater  
droben &c.* *Dein Nahm' sey bey Unſt stets werth.* Item  
in *Odeo Norimberg.* sumptibus *Andr. Ottii.* Ao. 1706. edito  
eandem in sententiam legitur: *Dein Nahm' sey bey Unſt  
stets werth.* Plures nunc editiones adducere nec placet, nec  
vacat. Quid multa: Iple *Jo. Franckius*, Consul olim in  
Luf. Inf. Gubensis, idemque Ordinum Provincialium Se-  
nior, quem Maxime Venerabilis Sacrorum in Aula, & Urbe  
Sorav. Antistes, *Neumeisterus*, in erudita de Poetis Germ.  
Dissert. p.35. *Vatem pium, eruditum, suavem, & qua-  
lem demum cunque volueris, merito suo, nominat, Fran-  
ckius*, inquam, qui hujus ipsius hymni auctor est, Orationem  
Dominicam trecentis mutatas *vicibus Variationis Melica* no-  
mine evulgavit. Sed in tanta mutandi facilitate, & copia,  
vix ſemel, atque iterum, verba illa *indicandi* significatione,  
idque metri gratia, quod negari non potest, reddidit, in ce-  
teris *semper, semper* inquam, *optativo*, & *precatorio* ſenu,   
expressit, ut adeo facile appareat, ipſi *Franckio* perſuadum  
illud fuifse, quod verba, *Sanctificetur nomen tuum*, non pro  
doxologia, sed pro dñe debeat haberi. Addo, quod ſu-  
pra jam fuit monitum, non queri, *num nomen Domini fit  
sanctum*, neque etiam, *num debeat illud a creaturis omnibus ce-  
lebrari*; *sed num sanctificatio ejus a nobis, verbis illis disertis,*  
*& per-*

*E*s perspicuis, debent exorari, vel non exorari, adeoque verba : *Sanctificetur nomen tuum!* vel pro doxologia, vel pro justa petitione, haberi ? Nil igitur opus erat illo parum arguto scommate, quod hymnum illum in numerum Libb. probitorum referre, vel indicem expurgatorium extendere, studemus. Si quis enim cum B. Franckio ducenties, & amplius, verba illa δεντριας acceperit, aliquando autem thesin, de nomine DEI sancto, & benedicto, velut πόρσυα quoddam, exinde elicere velit, quum nobis sanctum fieri, quod non ante in se sanctum fuerit, non possit, nemo repugnabit. Veterum vero interpretationem rejicere, totamque Ecclesiam erroris in precando perpetui postulare, & verba formaliter petitoria τῶν δέησεων numero, censuque, excludere, & e justa petitione δοξολογια formare, id vero ingenium sapit, quale in auditoribus indicum expurgatoriorum reprehendere solemus. In fine hymni: *Es ist das Heil uns kommen her &c.* verba controversia per modum δοξολογια expressa fuisse, ne perspicillo quidem admoto, videre possum, nec, opinor, alii videbunt. Illa enim: *Er soll mit Gnad erfüllen, was er in uns angefangen hat, zu Ehren seiner Majestät daß geheiligt werde sein Name,* formalissime δέησιν continere, neget Observator, si potest. Ad extremum Lutheri, cum alias, cum suis in Catechesibus, allatam interpretationem cum Observatoris opinione, quibus demum cunque coloribus pingatur, conciliari posse, prorsus despero. Si enim δοξολογια eo significatu sumpsi Aristarchus, quo a petitione parum, aut nihil, differt, cur tanquam suum unius inventum jaicit, cur pro novo quodam, & a se primum reperio, ceterum per XVII. secula ignorato, venditat, imo cur suam opinionem recepta, approbatæque sententia conceptis verbis opponit, & nunc quoque ex instituto, pertinaciterque, defendit? Seculi nimirum, quidlibet ex quolibet singulis, ac resingentis, mos est, novandi pruritum ubique prodere, sed ubi consilium minus, quam pro expectatione, succedit, nova cum veteribus, sua cum alienis, falsa cum veris, quo errandi suspicio evitetur, conciliare velle. G. XVI.

§. XXVII. Dicit r) vocis ἀγιαστῶν eandem vim esse,  
qua sit τὸ Πρότερον, & quemadmodum Ebrei soliti fuerint preces  
suas a benedictione nominis divini ordiri, sic idem ut facerent  
Christiani, b. l. Servatorem ursisse. Verum hoc argumen-  
tum tum demum aliquid, non dicam roboris, sed speciei,  
haberet, si Christus nos dicere volisset: ἄγιον τὸ ὄνομα  
σα. Hoc enim illum, quem urget, Ebraeorum morem,  
quodammodo redoleret ac saperet. Nunc vero, ubi τὸ  
ἀγιασθήτω, qua modum loquendi, & accidentia gramma-  
tica,

XVI. Videamus hic paucis, ordine postulante, de ratio-  
nibus, quas a Dissentientibus exceptionibus liberaturi su-  
mus. Scripsérat, nempe Cl. Observator: *Verba illa  
ἀγιασθήτω τὸ ὄνομά σα, δοξολογίαν potius, vel celebratio-  
nem nominis Divini, quam justam petitionem esse, idemque  
valere, quod, benedictum sit nomen tuum.* Monueram: *Ob-  
stare Imperativum, optandi significacione gaudentem, ἀγια-  
σθήτω.* Excipit a) contradicere rem ipsam. *Affectum enim  
laudantis esse amorem, ac desiderium, gloria: nil igitur ob-  
stare, quo minus etiam δοξολογία voce oprant se primi queat.*  
Persevero autem in sententia, simpliciterque nego, verba,  
hunc in modum concepta, pro doxologia haberi posse.  
Supra quippe jam est ostenum, doxologiam continere agni-  
tionem gloriae, agnita vero celebrationem: affectumque δοξο-  
λογίας non esse, accurate loquendo, desiderium, sed in-  
tentionem solummodo gloriae, hujusque non expetenda, aut  
fruenda, verum pro dignitate depraedicanda. Desiderium  
enim, est rei absentis, non presentis. Sed qui laudat ac ce-  
lebrat, rem adesse, quae debeat celebrari, supponit: adeoque  
δοξολογία semper instituitur ob rem presentem, non absen-  
tem, nec stare potest cum desiderio, proprio sic dicto, quippe  
quod in rem absentem, non presentem, fertur. Unde &  
Plinius, Eumenius, Mamerinus, Drepanius, & quotquot  
Imperatoribus panegyricos dixerunt, virtutes, & merita, que  
in iis iam inerant, depraedicarunt, non vero, ut adessent, ope-

tica, cum subsequentibus ἐλθέτω, γενιθήτω, (quæ formales petitiones constituere fatetur Observator,) exactissime convenit, quis dubitet, verba illa: ἀγιαθήτω τὸ ὄνομά σε, magis *ad aliquid expetendum*, quam Deum extollendum, esse composita? Neque etiam, quod putat vir eruditus, constata res est, quod, quando, vel ab Angelis, vel hominibus dictum fuit: ἀγιος ὁ Θεός *Jes. VI, 4. Apoc. IV, 8.* vel ἀγιον τὸ ὄνομα αὐτῷ, necessario subintelligendum sit: εἰσω, ut respondeat τῷ ἀγιαθήτῳ. Quid enim obstat, quo minus *indicativo* sensu intelligatur, hoc modo: ἀγιον ἐστὶν ὄνομα, ἀγιος ἐστιν ὁ Θεός. Lutherus certe noster, cui in assequen-

do

runt, vel precibus postularunt. Τὸ ἀγιαθήτῳ autem, quod negari non potest, hujusmodi vox est, quæ nominis quidem divini sanctitatem supponit, ceterum dignam ejus agnitionem, vel sanctificationem tanquam rem nobis *minime presentem*, sed demum *obtinendam*, considerat, eandemque, ut inter nos quoque obtineat, exorat. Quæ omnia quam ab indole ac natura δοξολογίας aliena sint, nemo non videt. Peccat igitur Observator, quem negat, nostrum hoc ἀγιαθήτῳ a formula piis, beatisque mentibus, *Jes. VI, 8. & Apoc. IV, 8. sanctus, sanctus, sanctus, Dominus DEUS Zebaoth*, usurpata, differre. Hæc enim verba sunt laudantium, ac celebrantium, quibus infinitam DEI perfectionem, imprimisque sanctitatem ejus, deprædicant, non vero eandem vel sibi, vel aliis (nec enim de interpellatione Angelorum pro hominibus revelationum quid esse memini in Scripturis) exorant, adeoque *indicativo*, non *optativo* sensu accipi debent. *Omnium enim consensu, verba sunt Diomedis L. I. Gramm. p. 330. ed. Putsch.* necesse est in futurum optemus, quoniam nemo optat, quod habet, sed ut habeat. Ut vero sanctum DEI nomen sit inter Angelos, non demum obtinendum est, sed pridem *obtentum*. Nego igitur formulam illam optativo sensu accipi, vel etiam per τὸ εἰν, suppleri oportere.

G 2

XVII.

do vero Scripturæ sensu' plura, quam recentioribus, tribuendum esse existimo, & illud *Jes. VI, 4.* & istud *Luc. I, 42.* sensu positivo & indicativo, non optativo, vel prelatorio, accepit, prius illud reddens: *Heilig, heilig, heilig ist GOT der HERZEBAOIB:* posterius autem: *Diesen Nabmen heilig ist, non heilig sey.* Nec desunt loca, in quibus hujusmodi formulæ manifesto indicativum sensum suppeditant, utpote *Psalm. XCIX, 9.* *adorate ad montem ejus sanctum, quia Dominus Deus noster sanctus est.* Et *Psalm. CXI, 10.* *tremendum & sanctum*

**XVII.** Non parum quoque in eo seipsum Observator fallit, quod b) in Mariæ DEI para verbis *Luc. I, 59.* ἐποίησε μοι μεγαλέα ὁ δυνατός, καὶ ἄγιον τὸ ὄνoma ἀντῆ, prius hemisphericum commemorationem magni operis, alterum celebrationem DEI, propter illud, continere putat, banc in sententiam: *Magna mibi fecit, & sanctificet nomen ejus, vel, ut planius redam: benedictum sit nomen ejus.* Quid enim opus est soli affundere tenebras, & locum in se clarissimum frigida quadam subtilitate obscurare, quum vel lippo appareat, effectio- nem τῶν μεγαλεών, h.l. speciatim quidem ad DEI potentiam, generatio ad sanctam ejus essentiam, omniumque perfectionum complexum, (quæ stylo Scripturæ S. nomen DEI dicuntur) vi copule vero, ad utrumque referri. Nec displicet etiam, quod *Grotius*, cui ὁ πάντα *Calovius* in Bibl. Illustr. accedit, ad h.l. observat, idem esse, ac si Θεοτόκος dixisset: *Ἐ τὸ ὄνoma ἄγιον, quæ sit περίφεστις DEI religiosa, similis ei, quæ legitur Ps. CXI, 9. ἄγιον καὶ Φοβερὸν τὸ ὄνoma ἀντῆ, sanctum & terribile nomen ejus est,* ut hoc sententia redeat, magna fecit mihi *Prepotens*, cuius nomen sanctum est. Utram quis cunque interpretationem sequatur, eandem multo esse, quam Observatoris, simpliciorem, planiorem, solidiorem, æqui rerum censores facile largientur.

**XVIII.** Urget porro c) *Grecis, Latinisque receptum esse, per imperativos laudationis affectum in hymnis, & prectionibus efferre,*

*Etum DEI nomen est. Quid igitur obstat quo minus illa quoque Jes. VI, 4. Apoc. IV, 8. Luc. I, 42. indicativo sensu accipiamus? Tὸ ἀγιασθῆτω autem in Oratione Dominica manifeste non est *indicativi*, sed *operativi*, & precatorii sensus, adeoque non *doxologiam*, sed peculiarem petitionem constituit. Nisi forte inani pacis Ecclesiastica persuasione decepti mutare formulas, & hanc in sententiam concipere velimus: *Dein Nabne ist geheiligt: Dein Reich kömpt: Dein Wille geschiehet &c.* Ob quam absurditatem in Syncretistas invehitur Lutherus T. VI. Vitemb. f. 129. seq.*

§. XXVII.

ferre, produeloque Catulli loco: (*ex Epigr. XXXV.*) Sis, quo-  
cunque Tibi placet, sancta nomine, negat eum Grece reddi  
convenientius posse, quam ἀγιασθῆτω τὸ ὄνομά σὺ οὐ, τι ποτὲ  
ἐστιν, quam tamen δοξολογίαν esse negari non possit. Respon-  
detur: *Catullus verba δοξολογίαν esse non nego: Quod au-*  
*tum h̄s aequipollent: ἀγιασθῆτω τὸ ὄνομά σὺ &c.* hoc se-  
mel, iterumque, nego. Catullus sanctitatem Dianæ suppo-  
nit, nec demum, ut sancta fiat, expetit, sed sanctitatem ejus,  
tanquam præsentem, agnoscit, ejusdemque se laudem, quo  
modo cunque velit nomine, (*more Veterum*, qui, ne non  
satis grato nomine Deos compellarent, timentes, arbitrio  
eorum, quibus vellent nominibus laudari, permittebant,  
*Conf. Pet. Victorius var. Lest. L. XIII. c. 2 p. 313*) celebrare  
se velle pollicetur. Haecenus igitur intra unius δοξολογίας fi-  
nes se continet, ad δέσποτιν non descendit. In Oratione vero  
Dominica, non, quod nomen Domini *sit sanctum*, agnoscitur,  
sed ut apud Nos fiat *sanctum*, expetitur. Præclare hanc  
in rem *Augustinus in Psalm. CIII. T. VIII. OO. f. 171. edit.*  
Basil. *Si nos, ait, quisquam interrogat, quid est, quod petitis,*  
*ut sanctificetur Nomen DEI?* aliquandone *sanctum non est,*  
*ut modo sanctificetur?* & tamen nisi velimus fieri, non pete-  
remus ut fieret; *Quid est ergo, sanctificetur nomen tuum?*  
& intelligimus quid hic dictum est, b. e. *sanctum sit apud ho-*  
*mines nomen tuum. Sanctum enim semper est nomen tuum, sed*

G 3

qui-

quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Quid ergo rogamus, sanctificetur nomen tuum, in illis hominibus, qui per infidelitatem nondum habent nomen D E I sanctum, in quibus nondum est ille sanctus, qui per se, & in se, & in Sanctis suis sanctus est? Rogamus pro genere humano, rogamus pro orbe terrarum, pro omnibus gentibus, quotidie sedentibus, & judicantibus, quia non est rectus D E V S, nec recte judicat D E V S, ut aliquando ipsi se corrigan, & rectum cor ad illius rectitudinem ducant &c. Id ergo his in verbis orandum est, ut nomen Domini Sanctum apud Nos fiat, cui profecto, sententiæ, illud Jes. VI, 8. & Apocal. IV, 8. ἄγιον τὸν οὐρανόν minime omnium respondet. Hoc enim est absolutum: illud respectum. Hoc sanctitatem celebrat: illud celebrat exorat. Hoc sanctitatem intuetur tanquam presentem: illud respicit tanquam apud Nos futuram. Hoc formula est letantis: Illud formula petentis. Denique oramus, ut celebretur apud Nos nomen Domini. Ergo illud ἄγια θήτω τὸν οὐρανόν, vel sanctificetur nomen tuum, non equipollit illi ἄγιον τὸν οὐρανόν. Callimachi loca, ad quæ se recipit Observator, tam parum huic rei inserviunt, ut ne discuti quidem a nobis mereantur. Nec majoris momenti illud est, quod urget, ὑπερηφάνεια sanctos aliquando impersonaliter loqui, eadem orationis vi, que sit in forma passiva, laudetur, vel sanctificetur nomen Domini, ut Ps. CXLIX, 5. Verba enim, que respicit, neque pro doxologia, neque pro petitione, sed pro adhortatione, & præcepto accipi debent, quam in sententiam Andr. Osiander etiam interpretatus fuit. Graviter, ac rotunde de hoc Psalmo B. D. Geierus, quem unum omnibus novellis Criticis in literatura Ebraica anterendum puto, in dispositione Psalmi: *Mera*, inquit, est ad laudes divinas adhortatio. Unde & LXX. reddiderunt: ἀνεστρωσαν τὸν οὐρανόν. Et quæ, rogo Te, ratio inferendi: Impersonalia respondent aliquando passivis v. gr. laudent Domini nomen! idem est, quod laudetur nomen Domini! ergo, sanctificetur nomen Domini, idem est, quod nomen Domini sit benedictum, vel, sanctum! Davum hic me, fateor, esse, non Oedipum.

XIX. Nondum igitur patet verbum ἀγιασθήτῳ laudantis esse posse, quod Cl. Aristarcho persuasum est, & nimis ingens discrimen remanet inter formulas: ἀγιασθήτῳ ὄνομα Θεός. & inter ἄγιον τένομα Θεός. Posterior enim quomodo suppleri debeat e verbis *Pf. CXI*, 10. ἄγιον καὶ Φοβερὸν ἀντὶ ὄνομα, discere possimus, in quibus τὸ ἐστὶ non εἴη, vel ἐστω, vel γένοτο, intelligi oportere, vel ipse contextus docet, quia si ἄγιον τὸ ὄνομα ἀντὶ, idem est, quod ἀγιασθήτῳ, tum τὸ Φοβερὸν τὸ ὄνομα Θεός, vi conjunctionis, idem fuerit, quod Φοβεροῦ ἀγιασθήτῳ, quam interpretandi rationem meam non fecerim. Τὸ ἄγιον, respondere τῷ בָּרוּךְ Ebr. nondum ostendit. E loco enim *Luo. I*, 59. & hymno τῆς Θεοτόκου, refelli hac persuasio, quam demonstrari, facilius potest. Denique ut verba Reg. X, 9. בָּרוּךְ בָּרוּךְ בָּרוּךְ latine, sit Dominum nomen benedictum, reddi debere facile largior, sic græce, reddi posse vel ἄγιον τὸ ὄνομα ἀντὶ ἐστι, vel ἀγιασθήτῳ τένομα κυρίς, simpliciter nego. Unde & LXX. reddiderunt: γένοτο ὁ Θεός σε εὐλογημένος, id est, sit Deus tuus benedictus. Suntque adeo verba latantis, Deoque gratias agentis, non autem precantis, vel orantis. Dixeris: Interim ex h. L. apparet, δοξολογίαν non semper indicativo modo, sed etiam optativo, vel imperativo, exprimi posse. Respondeo: Aliud est δοξολογία, vel laudatio, aliud ἐνχαρισία, seu gratiarum actio. Qui laudes alterius panegyrico sermone decantat, non idcirco & gratias agit. Laudatio seu δοξολογία, stricte si vox capiatur, formaliter, nisi indicativo modo, exprimi vix potest: Gratiarum autem actio uti ad δεήσεος naturam propius accedit; sic etiā indicativo modo exprimi posse largior. Nondum igitur me penniset ejus, quod scripsi: τὸ ἄγιον τάθητῳ in *Oratione Dominicæ* non est indicativi, sed optativi, modi, adeoque non doxologiam, sed peculiarem petitionem constituit. Locus enim a gratiarum actione peritus huic argumentationi non officit.

§. XXVIII. Alterum (2) argumentum inde petit, quod, per preceptum Apostoli, *preces omnes cum gratiarum actione, & laudibus divinis sint conjungenda.* Verum, de imbecillitate illius intra se convictus, fatetur, magis tum illud strictum esse, si doxologiam Orationi Dominicæ subjectam non ab ipso Christo esse constaret. Constat autem vetustissimorum Codicum, quos Beza, se inspexisse, ac contulisse scribit, imprimisque interpretis Syri, auctoritate, quod doxologia, ad calcem precationis, non a Christianis, quod opinantur non nulli, sed ipso Christo, adjecta sit, nihil igitur opus est, entia, ut loquar cum vulgo, præter necessitatem multiplicare, & septenarium petitionum numerum ad senarium reducere, quo pro una doxologia geminam habeamus.

XX. Pergo ad vindicandum ea, quæ alteri ejus argumento in Dissertatione opposui. Accusor enim, *quod illud media sui parte truncatum attulerim, cum ipsa ex Observatione patet, se ursus Apostoli monitum, conjunctum cum Observatione Apostolorum, & ipsius Christi, qui semper preces a doxologo yra exordiantur, sic tamen, ut non dissimularit, magis sibi etrum hoc argumentum esse, si doxologiam in fine Orationi subjectam non ab ipso Servatore adiectam constaret, cum plane probabile non sit, precationem, quam exemplivim habere oporteat, nihil plane habere doxologias.* Monuisse me contra: quoniam ipse fateatur, doxologias quandam precationi subjectam esse, non opus esse, ut alia quedam eidem premissa existimetur, quum entia præter necessitatem non sint multiplicanda. Hanc sese vocem magnopere improbare, quum Nomen DEI nimium laudari non possit. Quoniam vero ad Observationem Christi & Apostolorum se recipit Noster Criticus, facere non possum, quin ei in memoriam revocem, quod supra verborum controversorum sententiam ex more precandi Ebræis usitato voluerit derivare. Quos quidem si preces suas semper a doxologis orsos fuisse quis opinari velit, hunc vel sola Psalmorum Davidicorum inspectio refutabit.

bit. Et vero cum argumenti nervum in eo ponat Dissentiens, non, quod δοξολογία ab initio, sed quod omnino adesse debeat, ipse vero δοξολογίαν jamjam ab ipso Christo precationis exemplo subiectam esse concedat, quid, rogo, a me peccatum fuit, quod hac ratione entia præter necessitatem multiplicari existimavi? Scio, nomen Domini laudari satis non posse: interim nec illud omitti deber, non laudandi, sed orandi, formulam Christum Apostolis tradere voluisse. Esto autem, Servatorem, cum Apostolis, preces suas a doxologia quadam ordiri solere, quid tandem hoc ipso suæ lucrabitur opinioni Dissentiens? Affer exempli loco Perrinum illud: *DEVS omnis gratia, qui vocavit nos ad eternam gloriam suam, per Iesum Christum, dicitque: en δοξολογίαν!* Laudantis enim hac sunt, atque ex commemoratione abundantissima benignitas, & beneficij maximi, *DEVM ύμνων*. Sequitur precatio: *Parumper afflictionibus obnoxios integros reddat, fulciat, confortet, fundet: tum rursum δοξολογία,* ei sit gloria & robur in secula, seculorum! Quid vero, si suo Criticum gladio jugulem, &, pari argumentandi ratione, iis omnibus ad Orationem Dominicam, accommodatis, dicam: *Pater Noster, qui es in cœlis, en δοξολογίαν!* Quoties enim Scriptura ea omnia breviter, summâtimumque complecti vult, quæ modo cunque ad Majestatem Numinis insinuandam faciunt, tunc dicit: *DEUM esse in cœlis.* Conf. Ps. CXV, 3. Ies. LXVI, 1. Jo. III, 13. 1. Cor. XV, 47. Eph. IV, 8. 10. Sequuntur petitiones: ἀγιασθήτω τὸ οὐοῦ, σε: εἰλθέτω ἡ βασιλεία σε: γενθήτω τὸ θελημά σε: Tum rursum δοξολογία: tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum amen! Num quid jure hic poterit desiderare Dissentiens? Si proinde vel maxime, Christi & Apostolorum exemplo, tum ordiri, tum claudere Orationem quadam doxologia deberemus, tamen quia verba: *Pater noster qui es in cœlis, δοξολογίαν involvere, negari non potest, entia omnino præter necessitatem multiplicabuntur, si tantum non omnia in δοξολογίαν mutare, & illud quoque: Sanctificetur nomen tuum, numero petitionum eximere, & ad δοξολογίαν referre voluerimus.*

§. XXIX. [Putat 3] & illud nonnullum pondus suæ  
adjicere opinioni, quod alioqui, si haec verba preceptionem  
strictè dictam constituant, difficile sit ostendere, qua ratione  
prima a sequentibus differat, quum easdem vel comprehen-  
dat, vel iisdem comprehendatur. Sed a) si vel maxime res  
ita sese haberet, hoc tamen septenario petitionum numero  
non magis nocere posset, quam denario in præceptis deca-  
logi, quoniam in hoc non modo *primum* virtualiter reliqua  
omnia in se continet, iisdemque fundamenti loco est sub-  
sttuendum, sed etiam *nonum* in *decimo*, vel etiam vice versa,  
*decimum* in *nono* comprehenditur, quum & actualis con-  
cupiscientia habitualis, & originariam, supponat; & habi-  
tualis non ita otietur, quin subinde in actualem prorumpat.  
Neque tamen est, b) cur hoc pacto in tanta brevitate,  
Magister magistrorum vel Βαπτολογίας, quam eodem illo  
loco rejectit, vel saltem τωντολογίας, insimuletur, quasi per  
plura distribuerit, quæ paucis potuisset complecti, aut ex  
una petitione duas pluresve reddiderit. Nam si res recte  
consideretur, facili negotio postulationum se prodet distinc-  
cio. Enimvero in *prima* ministerii, & Sacramentorum in-  
stitutionem, & benedictionem: in *secunda*, veræ poenitentia-  
tæ, per Verbum & Sacra menta, ingenerationem: in *tertia*  
poenitentium novam obedientiam, & sanctificationem: Vel:  
in *illa* nostram a Deo vocationem: in *ista*, nostri conversio-  
nem, & justificationem: In *bac*, renovationem & sanctificationem:  
In *illa* beneficiorum per Christum partorum, &  
gratiæ salutaris, oblationem: In *ista* oblatorum admissionem:  
in *bac*, admissorum conservationem, & amplificationem a  
Deo postulamus. Vel, ut E. Schilterus Theol. olim Lips. in  
egregia exetaſi sua breviter, rotundeque rem edisserit: *Cri-*  
*stus jubet primum petere notitiam regis, deinceps adven-*  
tum

*tum regni, denique obedientiam civium.* Credo tali modo, facilius opinione, ostendi posse, quo pacto hæc prima petitio a sequentibus differat. Etsi enim tres priores, omnes ac singula, gloriam Dei, & bonorum spiritualium impertitionem, generatim involvant, & hactenus una alteram respiciat, vel etiam comprehendat, remanet tamen *specialis* quædam postulatorum ratio, & ad gloriam DEI, ac bona spiritualia, respectus, qui quidem ad unum ab altero distinguendum potest sufficere. Datur enim inter postulata *mutuus* quidam *nexus*, *mutuusque respectus* ita ut unum alterum nunc comprehendat, ut ipse adversarius loquitur, nunc comprehendatur, nec illa comprehensio mutua *uni* solum, sed *omnibus* competit. Si proinde unum propterea numero postulatorum excludendum, & pro laudatione habendum esset, queri poterat, cur non *reliqua* eodem modo tractentur? Sed quod diximus, ad distingvendas petitiones sufficit diversitas qua rationem *specialiorem*, & quemadmodum illud: *remitte nobis debita nostra*, non desinit esse pecuniale postulatum, utut in illo: *Et libera nos a malo*, vel maxime includatur, cum peccatum omnium malorum sit maximum; ita quoque illud: *sancificetur nomen tuum*, est manetque peculiaris petitio, etsi duas sequentes vel contineat, vel in iis suo modo contineatur.

XXI. Quid tertio loco sua pro sententia dixerit, quid invicem a nobis responsum fuerit, ipsis ex vindictis appareat. In *Notis* id Observator urget, non esse, cur ad distinctionem preceptorum in Decalogo me recipiam, quumborum, & Petitionum, in Oratione Dominicæ, dispar sit ratio. Distincta enim inter se formaliter esse officia Legi Decalogi præscripta, licet commune fundamentum & basin habeant in præcepto primo, negari non posse: hinc igitur in Lege etiam distincta prescribi debuisse. Nec eandem esse materiam præcepit IX. & X. quorum alterum

pravis consiliis, alterum primis, quos vocent, concupiscentia motibus interdicat. Nihil autem formaliter distinctum in Verbis, αγιαδητω τὸ ὄνομα σε, sensu precum, stricte ita dictarum, acceptis, concipi posse ab iis, que continentur verbis, advenias regnum tuum, fiat voluntas tua. Quas enim, distinctionis alicujus constituende causa inventas allegarim interpretationes, neminem facile, verborum stricta, & Grammatica, interpretatione obtinente, affecteturum esse, quemadmodum nec ipse aliquid hic statuere sim ausus. Quibus in verbis miror tot falla, & erronea cumulari ab eo potuisse, qui multo sibi acutius, quam vel Lutherus, vel omnes hujus socii, cernere in interpretando videtur. Primo enim a) eandem esse materiam Praecepti noni, & decimi, praesidenter negat, quum tamen in utroque pravam concupiscentiam prohiberi vel ipse oculorum sensus nos doceat. Unde & in his duabus praecceptis Objecta, materialiter eadem, formaliter autem diversa, statuit, & contra Ursinum Reformatum defendit, Dannhauerus in Coll. Decal. p. 18. §. 13. Falsum b) illud est, quod praecpta nonum, & decimum, ita differant, ut alterum, nempe nonum, (sic enim accipienda esse verborum structura nos admonet) malis consilis, alterum, nempe decimum, primis concupiscentia motibus sit oppositum. Quo enim in praecerto fomes peccati, & habitualis, ac originaria concupiscentia prohibita fuit, si ne quidem in nono, vel decimo est prohibita? Quam tamen cum motibus primo primis non oportere confundi, tum res ipsa postulat, tum Dissentiens, ut spero, largietur. Sed audiamus, bona Observatoris pace, quid B. Calovius de utriusque praecetti discrimine statuat. Diffundit se, inquit, concupiscentia actualiter per omnia praecpta Decalogi, sed speciatim actus concupiscentie prava, quos dicimus, primo primi, ad nonum (non decimum) praecptum referuntur; Originaria autem prava cupiditas pertinet ad ultimum, seu decimum, praecptum. Vid. T. XI. Syst. Cap. VI. p. 247. Eadem in sententiam B. Quenstadius multis ultro, citroque disputatis, tandem: Paucis ait: Praecepto IX.

pro-

prohibetur concupiscentia actualis -- in X. vero Originalis, monstrato simul tripli distinctionis, in ipsis fontibus, fundamento, in System. P. III. c. I. Sect. II. f. 27. Quod si forte, quod vereor, Vittenbergensium sordeat Dissidenti autoritas, Gerhardum excito, qui T. III. de Lege DEI §. 46. Colligimus, inquit, actualem concupiscentiam (quam non ita multo post actum concupiscentia secundum in genere, seu motus primo primos, nominat) præcepto nono, Originalem vero, (seu ipsum habitum, & actum concupiscentie primum) Decimo præcepto prohiberi. Huic illustre quandam Lipsiensis Academiæ fidus, J. B. Carpzovium Seniorem, jingo, qui, repenitius excusa, in Iesogope sua, quam ob non imitandam prope ἀπόβειαν satis admirari non possum, & quidem ad Catechesin p. 1005. pernervose scribit. *Involuntaria concupiscentia duplex est: Una habitualis: altera vero actualis, qualis sunt motus, vel primo primi, vel secundo primi. Probus involuntarie concupiscentie ratione etiam præcepta IX. & X. inter se discriminantur, ita ut IX. de primis motibus, Decimum vero de fonte ipso, seu habituali pravitate, agat, idque non solum ex interpretatione Paulina Rom. VII. sed ipsis quoque fontibus, solide, graviterque, probat.* Has Veterum Doctorum sententias sua cum opinione conciliat Observator, si potest. Hi enim concupiscentiam actualem προσεγετικὴν, seu prava consilia, & machinationes, jam in prioribus præceptis: concupiscentiam actualem quidem, sed ἀπροσεγετον, Præcepto nono; habitualem denique ipsam, & Originariam, decimo prohibitam esse statuunt. Nosfer actualem, eamque προσεγετικὴν, seu praxis cum consilia conjunctam, ad Nonum; ἀπροσεγετον, seu motus primo primos, ad decimum referit; de fonte ipso, & habitu, peccatoque Originis, prorsus tacet. Num pro somite adiaphoro cum Pontificiis habeat, ipse viderit: nec enim hujus temere illum singularim, id addo, nulla me ad extremum c) contentionem, ac studio, assèqui posse, cur neget, in verbis: *Sanctificetur nomen tuum, aliquid formaliter distinctum ab his: Adveniat regnum*

regnum tuum, fiat voluntas tua, concipi posse. Notitiam  
 enim regis, adventum regni, obedientiam civium: Ministerii  
 & Sacramentorum institutionem: vera penitentiae per illa in-  
 generationem: poenitentium novam obedientiam, aliaque  
 id genus, formalissime differre, num quis putet negari posse  
 a quoquam? Id vero propemodum cum mea quadam mo-  
 lestia est conjunctum, quod ne meipsum quidem aliquid hic  
 statuere audere, propalam scribit. Enimvero, ne quid dis-  
 simulem, omnibus iitis, quas attuli, utut diversorum auctorum,  
 sententiis accedo, propterea, quod secum non pugnant,  
 sed omnes amicissime conspirant. Quod, eundo per ex-  
 empla, probare possum. Enimvero Ministerii & Sacra-  
 mentorum institutio, nostra ad DEUM vocatio, & beneficiorum  
 per Christum oblatio: Poenitentiae item per verbum & Sa-  
 cramenta ingeneratio, nostri conversio & justificatio, & ob-  
 latorum Christi beneficiorum admissio: denique poenitentium  
 sanctitas & obedientia, renovatio, admissorum DEI benefi-  
 ciorum confirmatio, & amplificatio, quarum illa in prima,  
 ista in secunda, hac in tertia petitione a nobis postulari sta-  
 tuimus, num, queso, inter se pugnant? Nimurum, quod  
 plures numero sententias attuli, causa fuit, non, quod certi  
 quid statuere, non auderem, sed ut ostenderem, neminem  
 unquam nostratum Doctorum in hanc divinissimam Oratio-  
 nem commentatum fuisse, quin idem formale quoddam ha-  
 rum petitionum discrimen agnoscereret, & nunc hac, nunc  
 illa ratione conciperet, et si hos non minore, quam Obser-  
 vator, studio, scrutatos esse SS. literas persvisissimum habeo.  
 Quapropter & acutissimi Theologi, Gvil. Lyseri, pulchella-  
 lam de petitionum distinctione sententiam, illius e Syste-  
 mate, transferre huc non dubito: *Bona*, inquit, sunt  
 vel spiritualia, vel temporalia. In spiritualibus (a.) est  
 Gloria DEI, qua supremus scopus, & finis ultimus. (b.)  
 Nostra salus, qua eidem subordinatur, unde in secunda peti-  
 zione aduentus Christi petitur. (c.) Medium, quo consequimur,  
 est DEI voluntas, cuius impletionem petitione tertia possumus.  
Medium

Medium externum sunt bona temporalia, quæ etiam omnia pertinuntur petitione quarta sub titulo panis quotidiani sic tamen, ut submittantur divine voluntati. Mala autem considerantur, vel quoad reatum, siveque in quinta petitione; vel quoad dominium, in sexta petitione; vel quoad radicem & ablationem totalem, de qua in septima petitione agitur. Hæc sunt, quæ nobis necessaria Christus putavit: nec dari aliqua possunt, quæ ad ea non possint referri. Vid. cap. de Precatione §. V. p. 1663. In quo desino, & ut quisque receptæ, ac huic nostris in Ecclesiis Scholisque traditæ interpretationi inhæreat, ab Observat. autem nova, & huic prorsus inaudita, clarissimis textus verbis, eorundemque nexui, ipsique adeo analogiæ fidei quadammodo adversa, Symbolorum, in quæ jura-mus, auctoritatē contraria, cum præsentissimo infirmorum scandalo, & perturbatione, Lutheri vero, & totius Ecclesie, contemptu conjuncta, explicatione, sibi caveat, pro ea, quæ veritati, juxta & paci, studio, religione, ac fide, auctor sum.

§. XXX. Postquam ostendimus, verba: sanctificetur nomen tuum, potentis aliquid, non DEUM laudantis esse, restat, ut ea paulo studiosius a Cabballisticis cavillationibus asseramus. In Observat. Halens. enim T. I. Obj. I. loco superius allegato, per nomen Patris cœlestis intelligitur essentiale DEI nomen, Jehovah, eoque modo tres priores Sephiroth h. e. personas divinas in Oratione Dominica insinuatas esse docetur. Repeto verba: Petere jubemur: Sanctificetur nomen tuum. Nomen scilicet יהוה quod juxta Cabballistarum doctrinam tres personas Trinitatis denotat. Namque DEO Patri quin hoc nomen conveniat, nullum est dubium. De Filio fatentur hoc Cabballistæ, dum inter cognomina תְּהִלָּה referunt וְתְּרוּגָמָת referunt בִּנָּה secundum Tetragrammati. De Spiritu S. itidem, dum inter cognomina תְּהִלָּה referunt וְתְּרוּגָמָת secundum Tetragrammati. Quæ omnia Cabbalæ admirator tam clara, &

ex-

explorato vera, esse existimat, ut *cum cæcum plane ac rudem*  
*esse statuat, qui hoc agnoscere nolit.* Quia tamen verborum  
 vehementia non moveor, quo minus me nihil horum agno-  
 scere velle, aut posse, ingenue candideque pronuntiem.  
 Nam a) vox ὄνομα in Scripturis N. T. nunquam significat  
 nomen DEI essentiale. b) Etsi reverenter de nomine DEI  
 proprio est loquendum, illud tamen non *solum sanctifican-*  
*dum nobis est, sed potius ea omnia, quæ quoquo modo re-*  
*feruntur ad DEUM.* c) Cabballista manifesto confundit *Je-*  
*hovam, & nomen Jehovah.* Ille est DEUS unitinus P. F. &  
 Sp. S. æquali honore colendus ab omnibus: Hoc autem ali-  
 quid essentiae superadditum, notionemque ejus significat.  
 Recte B. Dietericus in Catechesi: *Nomen, inquit DEI, est*  
*notitia DEI, qua essentiam & voluntatem, gloria, honor &*  
*majestas, omnia ejus facta, virtutes, Opera & beneficia in*  
*Scripturis nobis decantata.* *Que omnia apud Nos sanctifi-*  
*cantur quando de iis recte docetur, & ex prescripto doctrina*  
*vivitur.* d) Pater in coelis, & nomen ejus h. l. distinguitur.  
 Aliud enim est nomen Patris, aliud *Pater ipse*, cuius est no-  
 men. At vero si nomen h. l. significat tres personas, & Pa-  
 trem ipsum, quod Observator l. c. p. 12. & 14. vehementer  
 contendit, huc tandem redibit sententia: *Sanctificetur Pater*  
*Patris, vel Trinitas Trinitatis.* Quæ sententianum acumini  
 Cabballistico conveniat, auctor Oblervationis dispiat.

¶ XXXI. Neque etiam vero mihi simile videtur,  
 Christum in petitione II. *adveniat regnum tuum*, aliiquid de  
 Sephiroth Judaicis ideo involvisse, quia finis & *scopus* totius  
*Theologia Cabballistica sit, sapientissima regnum divinorum*  
*Oeconomia.* Nam si de Cabballa pura, qualem supra de-  
 scripsimus, velimus loqui, *scopus* ejus non fuit Oeconomia  
 regnum divinorum *universæ*, ita ut ne quidem regnum  
poten-

*potentia* excludatur; sed tantum regni *gratia*, adeoque salutaris hominum de Christo, ejusque beneficiis institutio. Si de Cabbala *corrupta*; notandum est, eam pro scopo non habuisse regnum *gratia*, quod est *spirituale & internum*, nec venit μετὰ παραπλήσιως; sed regnum quoddam potentiae, externum, visibile, mundanum, carni acceptum, cūjusmodi & Judæi tempore Christi, & adhuc, cum illis, Chilias imaginantur sibi, atque expectant. Atque hunc quidem scopum, tum a Judæis, in precibus, tum a Cabballistis, in petitione II. respici non nego. De *Waldensibus* enim & *Taboritis*, Johannes Episcopus Olmuzensis in *Hist. Bohem. L. XXVI. §. 62.* testatur, quod docuerint: *instare diem, in qua Christus occulē, sicut fur, venturus esset, Apoc. XVI. ad regnum suum in terris apparandum, pro quo oremus quotidie: Adveniat regnum tuum; sed in hoc adventu non esse tempus gratia, sed ultiōnis, & retributionis, igne, & gladio, adversus legis Christi adversarios, quos necesse est perire VII. illis plagiis novissimis, in Apocalypsi commemoratis.* Quam Taboritarum sententiam non modo allegat, sed etiam probat, & tanquam illustre veritatis testimonium adducit, *Jo. Guil. Petersenius*, portentorum omnium hoc tempore hamaxarius, im Schriftmäßigen Beweß und Erklärung der 1000. Jahr, ex Apoc. XX, l. 6. & 7. Consentit, ut fere fieri solet, cum sanctulo Socienista Sam. Pzirpecovus in *Cogitat. ad Matth.* quo de vid. *Acta Erudit. Lips. A. 1692. pag. 416.* Ceterum ad idem illud regnum, & scopum Cabbalæ Judaicæ, Servatorem in verbis Petit II. respexisse, tum demum sum crediturus, ubi persuationem illam nec SS. literis, nec Libris Ecclesiarum Symbolicis contrariam esse, fuerit demonstratum, quod quidem ad Calendas Græcas futurum est. Conferantur interim B. Dn. D. Neumannus in *Chiliastro profigato, nec*

*non D. Gebb. Theod. Meyerus, Pfeifferus, Nungesserus & alii,  
numero plurimi, de hoc argumento.*

*§. XXXII.* Transeo ad Petitionem III. *fiat voluntas tua,*  
*sicut in caelo; ita & in terra,* quam quidem pro invento suo,  
Cabbalistico ita explicat, ut dicat, voluntatem DEI h. l. reli-  
quas Sephiroth, seu attributa divina, significare. Fieri autem  
voluntatem DEI, si attributa ea se exerant, & vim, virtutem-  
que expromant. At enim (1) inter Sephiroth numerantur et-  
iam *pulchritudo, aeternitas, & gloria Dei,* quæ quo pacto ad vo-  
luntatem DEI referri possint, nondum perspicio. (2) Non  
petere jubemur h. l. ut DEUS faciat, quod vult, (seu ut at-  
tributa sua exerceat, quemadmodum Observator intelligit,)  
sed ut nos possimus facere, quæ ipse vult, ut loquitur *Cy-  
prianus.* Atque hanc interpretandi rationem contextus  
ipse confirmat. Petendum enim est, ut fiat Voluntas Patris,  
sicut in caelo, ita & in terra. Jam si τὸ fieri voluntatis di-  
vinæ in attributorum divinorum exercitio consistit, sequit-  
ur, quod, quemadmodum Dei gratia, apud homines in ter-  
ra, per vocationem, illuminationem, regenerationem, justi-  
ficationem, & renovationem, justitia per convictionem, co-  
ercitionem, ultiōnem, damnationem, se exerit; ita quoque  
in cœlis apud Sanctos Angelos, cum justitia, tum gratia Dei  
se prodat, non modo per conservationem in statu glorioso,  
sed & conversionem, redēptionem, aliaque id genus, qui-  
bus in terra exerere se attributa divina constat. Inanis igit-  
ur, & frigida est Observatoris de voluntate divina opinio,  
quæ partim cum attributorum divinorum natura, partim  
cum ipso verborum contextu pugnat.

*§. XXXIII.* Sociniani vero ac sigillatim Smaltzius de di-  
vinit. J. C. f. 19. & qui horum, proh! dolor, naviter nunc  
premunt vestigia, *Pietista*, atque fanatici, ex eadem hac ter-  
tia

tia petitione, & illius per Lutherum explicatione, *Perfectissimum* quendam elicere conantur. Audiamus perditæ im-  
pudentiæ hominem *Carolum*, Eccles. olim Osnabrugensem, qui in Catechismo, quem κατ' αὐτὸν Φρεστινον Anti-Pietistum inscripsit, p. 9. non solum pro in crustanda sententia sua urget Lutheri verba: *Wir sollen gläuben, und göttlich leben, bier zeitlich, und dort ewiglich, verum etiam ad exceptionem: Wir sind ja keine Engel, und also können wir hier nicht wie die Engel leben*, his verbis respondet: *Wir betheben in dem Gebeth des V. U. daß Gottes Wille auch bey uns geschebe, wie im Himmel, also auch auf Erden.* Et ad quæstionem: *Ist das auch auf einigerley Weise möglich? wie kan das gescheben?* Respondet: *Wenn Gott allen bösen Rath, und Willen bricht, und hindert so uns den Nahmen Gottes nicht heiligen, und sein Reich nicht kommen lassen wollen &c.* Atqui relictis omnibus distingvendum fuerat inter dominium, & inter radicem, fomitemque peccati. Illud in renovatione per gratiam DEI excutimus, ita ut non amplius regnet peccatum in corpore nostro mortali, nec obediamus concupiscentiis, subinde nos incessentibus Rom. VI, 12. seq. Quod vero ad fomitem, sensumque peccati, attinet, eum ejicere e natura, ut maxime annitamur, hac in vita non possumus. Est enim αὐθεπίστως, atque inhabitans Ebr. XII, 3. Rom. VI, 18. & caro subinde concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem Gal. V, 17. Negat igitur Salomo, esse hominem, qui non peccet i. Reg. VIII, 46. & uti nemo dederit mundum de immundo conceptum semine Jobi XIV, 4. sic omnibus fatendum est cum Apostolo: in multis labimur omnes Iac. III, 2. quæ verba non per νόηματα, ut Volkmyerus, aliique cavillantur, sed procul temperamento intelligi oportere, vox ἀπάυτες satis docet,

docet, quum non dicat Apostolus: in multis labimur, quod ad *κοινωνίαν* sufficere poterat; sed de industria addat, *πτυχίοις*  
NB. *από τοντες*.

§. XXXIV. Lutherus autem Noster adeo non statuit *Perfectissimum*, vel extirpationem peccati, hac in vita, ut etiam eodem in loco, quo abutuntur fanatici, conceptis verbis doceat, *dass wir täglich viel sündigen, und wohl eitel Straße verdienien.* Quod repetit in *Catech.* maj. p. 748. edit. Lips. in 4to, & copiosas deducit: *Ob wir gleich,* inquit, *Gottes Wort haben, glauben, seinen Willen thun* (hem ex cussionem peccati qua Dominium!) *und leiden -- so gebets doch ohne Sünde nicht ab, denn wir* NB. *noch täglich strau cheln* (hem residuum fornitem!) *und zuviel thun, weil wir in der Welt leben unter den Leuten, die uns viel zu Leide thun -- darzu den Teufel hinter uns haben, der uns auf allen Seiten zusetzet &c.*

§. XXXV. Quod autem in Declaratione petitionis *prima* docet, *wir sollen gläuben, und göttlich leben;* id vero non est intelligendum, deratione ac modo, ac si Deum ipsum sanctitate & justitia æquare possimus; hoc enim quam sit absurdum statuere, ex superioribus constat, verum de *norma*, quod nimur non pro voluntate nostra, sed *DEI*, in verbo revelata, vivere debeamus, unde & interpres Latinus simpliciter reddidit, *pie vivere.* Adverbia enim Germanorum *göttlich & ungöttlich*, sibi adæquate opponuntur, & uti posterius idem est, quod Latinis, *impie, nefarie*, quo sensu legitur in Bibl. Luth. Germ. *Jes. LVIII, 5. iibr schlaget mit der Faust ungöttlich i. e. boßhaftig, vel ut vulgo loquimur, unchristlich* (conf. B. Geierus in *Conc. poenit.* IV. p. m. 651.) ita etiam *rō göttlich* idem est, quod Latinis, *pie ac laudabiliter*, Germanis autem *fromm, und christlich*, unde & Luthe-

rus

rus suum illud, göttlich leben, alias perapte sic explicit: *Heilig, als die Kinder Gottes, leben.*

§. XXXVI. Et licet orare jubeamur: Fiat voluntas DEI, *sicut in cœlis ita & in terra;* satis tamen constat, hæc de perfecta, & numeris omnibus absoluta, convenientia intelligi non posse. Si enim eodem sanctimoniaz gradu servire DEO, aut voluntatem ejus facere possemus, quo angeli, formus hac in vita *τούγχειοι*, quam tamen felicitatem futuro seculo conceptis verbis reservat Servator *Luc. XX, 36.* Non est, cur quis urgeat *τὸ sicut in cœlis*, quandoquidem *ως*, cum compositis *ώσπερ ναθως*, aliisque, non semper *absolutam aequalitatem*, vel omnimodam identitatem, sed *similitudinem* quandam, vel serium in imitando studium, notat. Ita *Matth. V, 48.* jubemur esse perfecti, *ώσπερ*, quemadmodum Pater noster in cœlis perfectus est, & *Luc. VI.* esse misericordes, *ναθως*, quemadmodum Pater noster misericors est, & hoc ipso capite *Matth. VI.* postulamus remitti nobis peccata, *ως*, *sicut* & nos remittimus debitoribus nostris, quum tamen & perfectio, & misericordia, & remissio peccatorum, in Patre coelesti, tanto sit, quam nostra, perfectior, quanto infinitum præ finito est excellentius. Ut proinde *v. 12.* spondemus *imitationem* remissionis divinæ, utut ad *aequalitatem* assurgere nequeamus; ita & h.l. ubi de voluntatis divinæ obseruatione agitur, non nisi imitatio qua *simile*, minime vero qua *equale*, significatur, quod vel ex ipsis Pontificiis, vires aliquo humanas nimium quantum attrahentibus, observat *Durantus de ritibus Ecclesie Cathol. L. II. p. 511.*

§. XXXVII. De quarta petitione nil adderem, nisi quorundam me commoveret audacia, qui hoc tempore a recepta interpretandi ratione deflectunt, & panem *ἐπιέστοι* *Matth. VI.* non de pane corporis, vel de rebus ad sustentatio-

nem corporis, & fortunarum, necessariis, verum de Christo intelligunt. Prodeat, qui instar multorum esse potest, Jo. Henr. Majus, Doctor Publicus in Acad. Gissensi, qui in *Oeconom. temp. N. T. c. V.* p. 38. ita scribit: *Christus in Oratione Matth. VI. ostendit, ad quem dirigenda, & que maxime necessaria sunt, Spiritualia nimurum bona, ut sunt 1) sanctificatio Numinis: 2) adventus regni: 3) voluntatis divinæ prestatio - 4) Panis fidelibus proprii & singulari, iisque solis adventitii, & spirituali eorum necessitatii, indigentieque promissi suppeditatio, & per hunc jugis confortatio &c.* Intelligit ergo de pane spirituali, fidelibusque proprio, & singulari.

§. XXXVIII. Quæ ipsa vero explicatio est 1) *Libris Ecclesiistarum nostrarum Symbolicis contraria.* In utroque enim Catechismo Lutheri, quod omnibus notum est, non de pane spirituali J. C. vel etiam verbo DEI, & inde oriundo solatio, sed de pane corporali accipitur. *Panis quotidianus, verba Lutheri sunt in Catechismo minore, significat omne, quod ad vite nostra necessitatem, ac sustentationem pertinet &c.* Quæ repetit, & copiosius declarat, in Catechismo majore, ac denouo confirmat in hymno: *Gib uns heut unser taglich Brodt, und was man darf zur Leibes-Noth.* Denique quartum hoc inculcat, in *Descript. Missæ germ. & Sacrorum publ. Vittemb. A. 1526. T. III. Jenens. Germ. fol. 282. b.* ubi petitionem quartam breviter, strictimque, sic explicat: *Wolß Unß vor Geitz, und Sorge des Baubz, behütten, sondern Unß alles guts genug zu ihm verseben lassen.* Non dememini quidem, Lutherum aliquando in eadem fuisse sententia, quod h. l. *panis spiritualis* intelligi debeat. Sed hanc ei adhæsse ex Papatu, & reliquis Theologiæ Mysticæ, quam in Papatu hauserat, pri- dem, & recte, observavit B. Dannhauerus in *Lacte Catechetico.* Cumque illam, *quatuor distinctis vicibus, tum alias,*  
tum

tum in utroque Catechismo, diserte, ac perspicue retractabit, quæ, rogo, isthac vel impudentia est, vel malitia, ea tribuere velle summo Viro, quæ, postquam meliora edocetis fuit, ipse rejecit, ac semel, iterumque, ac saepius emendavit. Neque etiam hoc loco, quæ *Lutheri*, sed quæ *Lutheranorum*, sit de *pane cotidiano* doctrina, & sententia, quaeritur. Qui cum eadem suis in symbolis profiteantur, quam Lutherus non prioribus, sed posterioribus annis, & in utroque Catechismo, proposuit, sequitur, illam D. Maji interpretationem non esse vere *Lutheranam*, aut *nostram*, sed libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum, quibus tamen sanctissima religione non semel devinctus fuit, manifesto contraria.

XXII. Quamquam, his in verbis, quod facile apparat, nee quicquam a vero alienum proposui, nec modestiae fines in refellendo excessi, nihilominus tamen iisdem usque adeo transversum se abripi *Giffensis* passus fuit, ut non ante sibi quiescendum esse putaret, quam Pietistica sanctitati sua acerbas pœnas dedisset. Primum igitur distorti ingenii, malique omnis hominem, *M. Petrum Zornium*, Hollatum, *Giffe* tum temporis, nunc *Kiloni*, morantem, familiarem suum, &, ut fama est, convictorem, immisit mihi, qui sub mentito *P. Pezonii* nomine, his Vindiciis famosum quandam libellum operposuit, in quo, cum alia taxare non posset, testimonia Veterum a me allata, simulque meam ipsius famam, scurrili dicacitate invasit, pro Maji autem de *pane ēπιωσιω* sententia, stylo, ut brevis sim, Pietistico, i. e. perulantissimo, ac mordacissimo, propugnavit. Quo quidem præclare facto uti, sua pro pietate, *Majus* impensissime delectabatur; sic idem se continere non poterat, quin, quo auctore detestabilis ille fœtus lucem vidisset, suo ipsius indicio proderet, ut forex. Quapropter qui famosos libellos, legibus imperii prohibitos, & infamiam auctoribus parituros, supprimere, ac detestari de-

debuerat, is, notabili quodam Pietisticæ sanctitatis exemplo, in Dissertatione de *Heresi Practica*, quam ejus sub præsidio *Sigwartus* quidam degener defendit, semel, iterumque, ac sæpius, famosum illum *Pezronii* libellum, sub ipsius *P. Zornii* nomine, non modo laudavit, sed &, proh scelus! aliis, ut legent, commendavit. Num his unis Vindiciis tantam a Majo injuriam in me provocarim, alii judicent. Si datur suspicio locus, non parum illum in me stimulavit inveteratum illud, in *Divi D. Phil. Lud. Hannekeni*, Pro-Soceri mei, manes, familiamque, odium, quod ipsum multis rationibus huc usque sic confirmavit, ut animam ciuitus, quam illud, depositurus esse videatur. Etsi enim, quantum *Divo Hannekenio*, in capessendio munis, debeat, sua Majum conscientia docebit, nihilominus præclare de se merito non modo gratiam nullam habuit, sed & excitatas in Hessa ob Pietismum turbas, non semel, mendacissime, quod publicis, privatisque, monumentis docere possum, adscripsit, ac mortuo etiam infestis calumniis, ac fabulis, insultavit. Ut vero ad institutum revertar, non satis erat Majo, *Zornium*, *infamem pasquillarium*, in me armasse, ipse quoque tribus abhinc annis dissertationem, de *Oratione, ex Pericope Evangelica, Dominica Rogationum*, deductam edidit, quam o' déva, dissimulato nomine, ex ipsa Halensi Academia, non sine significatione dissensus sui, ad me transmisit. In ea primum ad *Harmoniam suam* se recipit, dicitque, si legisset illam, fuisse me sententiam, de pane quotidiano, tanquam non-Lutheranam, nunquam traducturum fuisse. Ex quo, quantopere sua fibimetipſi *Harmonia* placeat, colligi potest, quum eam non legisse, ac inspexisse, judicio ejus, non leve peccatum sit. Ego vero in *Harmonia Chemnitio - Lysero - Gerhardina*, addo etiam *Caloviana*, tantum soliditatis, ac nervi, mihi videor invenire, ut novitia illa, & mustea, épunyeia me facile carere posse, existimem. Quapropter uti necdum legi, ita nec deinceps in gratiam Giffensis lectrurus sum. Addit: *videre se, quod*

quod non bene legerim Lutherum, cuius in cathedra sedere me gloriari, neque Prioristicum, neque Posterioristicum, utrobique enim pro se stare Lutherum, & ipsam veritatem. Novum autem hoc est Majanæ *avvadæas* specimen, qui se unum, solumque, Lutherum, tum Prioristicum, tum Posterioristicum, legisse, arbitratur. Utinam vero semper ea, quæ legit in Lutherio, etiam bene intellexisset, & dextre explicuisset, & applicasset, de quibus cur vehementer dubitem, causas habeo, quas quidem nunc aperire, non vacat. Ad me quod attinet, quamquam *D. Majo* lectionum mearum rationem reddere non debo, nunquam tamen me cubitum ire, quin partem quandam e Tomis divi Lutheri legerim, fatebuntur ii, quibus interiorem, quam duco, vitam, inspicere datum est. Et facile mihi foret ostendere, me tum Prioristicum, tum Posterioristicum Lutherum legisse, siquidem integrum mihi esset, Majanam gloriationem, & arrogantiam, imitari. Quorundam vero isthæ objectio, *quod in Cathedra Lutheri sedere me gloriari*. Quo tempore, quo loco, ea de re gloriatus fui? Si legisset, quæ, quatuor abhinc annis, pro Cathedra divi Lutheri adversus Pietistas scripsi, credo, illum ab eo sibi scommate temperaturum fuisse. Ego autem hoc nomine gratias ago DEO, & Patri Domini nostri JESU Christi, quod me præter omnem expectationem, ac meritum, tanto Viro succedere voluit non solum in *sede*, sed etiam, pro magnitudine sue bonitatis, in *doctrina*. Et bene ageatur de Cattis, si summis illis, & ad omnem posteritatis memoriam celebrandis Theologis, *Schneppis*, *Winckelmannis*, *Menzeris*, *Leuchteris*, *Feuerbornis*, *Hannekenis*, *Haberkornis*, reliquis, *D. Majus* non minus in *doctrina*, quam *cathedra*, successisset. Quod autem Veteres illi Theologi cum recentioribus parum consentiant, Celeberrimi *Rostochienses* Theologi, exquisitæ doctrinæ, & invicæ soliditatis scriptis, omnium oculis, judiciisque pridem exposuerunt, Meipsum, sua proximitate, *imperitis* annumerat, & gratia forsitan loco habere debo, quod alios magis etiam *imperitos* agnoscit. Et vero,

K

cum

cum *D. Heinr. Majus*, bonorum corporalium petitionem in Oratione Dominica, imperatam fuisse neget, panemque τὸν ἐπιστού, de pane non quotidiano, sed spirituali, exponat, Ego autem, bona tum corporalia, tum spiritualia, a DEO petenda esse, contendam, panemque τὸν ἐπιστού, praeuntibus Lutheru, ac Symbolis, de omnibus, quæ ad viatum, & amictum spectant, intelligam, quis non mihi imperitiam, Majo summam rerum divinarum peritiam, & vel ipsos *Urim* & *Tumim*, cum *Reizio illuminatissimo*, tribuat? Ceterum & prioristicum, & posterioristicum Lutherum, ipsamque adeo veritatem, pro Sophistica petitionis quartæ interpretatione, quam Giffensis defendit,flare, miror, tanta cum impudenter affirmari. Lutherum quippe, priorem, quæ ei ex Papatu abbas erat, de pane Spirituali sententiam, omisisse, ac deinceps in IV. petitione bona corporalia constanter intellexisse, his ipsis in vindiciis ostendi. Que vero ex ejus in Genesin Commentariis, & quidem ad Cap. XVII. nunc afferuntur verba, eandem confirmant magis, quam removent. Recitemus illa: *Oratio*, inquit, *de pane quotidiano, inter reliquas est infima, & tamen si sciremus, quanta esset petitio, nemo nostrum auderet os suum aperire, es dörffte unser keiner das Maul aufzubun, und sie sprechen*, (ut Germanica habet translatio Tom. IX. Altenb. p. 449. a.) Sed Christus eam intellexit, cum dixit, *Luc. XII. 32.* *Noli timere, pusille grex, quoniam placuit Patri vestro dare vobis regnum, q. d. ne timatis, neque ut gentes sis solliciti pro rebus hujus vita. Placuit enim Patri vestro dare vobis regnum, sed eternum. De caelesti igitur regno cogitate, de via Victoria contra mortem & peccatum. Hac sunt de pondere, & digna, qua a DEO, Patri vestro, exspectetis.* Hactenus Lutherus, cuius verba ut recte intelligantur, observo a) Scopum ejus esse, ostendere difficultatem, momentumque, piæ, validæque precationis, quum nemo mortalium aptus sit, vel infima, pro eo ac debat, orare, idque connata indignitatis memoria, qua omnis in DEI bonitate collocanda fiducia energetur. Hinc ait:

ait : *Dass der, so da giebt, so gross ist, und wir, die wir bitten, unwürdig sind, solches hindert unser Gebet, dass wir eigentlich nicht wissen, was wir bitten.* Quæ verba, nullis aliis interjectis, modo allegata in Commentario præcedunt. Hanc sententiam b.) exemplo quodam illustrat, a petitione *panis quotidiani* deprompto, quam intuitu *Objetti*, bonorum nempe temporalium, quæ spiritualibus & æternis multo esse inferiora constat, *infimam* nominat, minime usurpis hoc titulo, si panis quotidiani nomine ipsum JESUM Christum, cum D. Majo, intellexisset. Interim petituros omnes c.) solas, ostendendo, quod, omnis illa orandi difficultas expiret, ac cesset, per bonitatem Patris cœlestis, qui nostræ trepidationi, & inde oriundæ in petendo difficultati, promissionibus suis succurrat, nosque, vel ipsum *cœleste*, ac *eternum regnum Luc. XII.* a gratia sua expedire jubeat, eoque ipso doceat, multo minus de inferioribus, & levioribus obtainendis, dummodo secundum voluntatem ejus petamus, dubitari debere. Hanc veram esse verborum *Lutheri* sententiam, nemo vere *pious* negaverit. Numne vero hac ratione *Lutherus*, ut loqui D. Majus amat, *posterioris*, per panem quotidianum Christum intellexit? Imo una vox illa, quando quartam petitionem inter reliquas *infimam* esse dixit, se panis *episcopis* nomine bonorum corporalium complexum intellexisse, significat. Majus *spiritualia* notari, nihilominus contendit, & tamen videri vult facere cum *Lutheris*. Sed quid mirum, Majum, cum sua ipsius confusionе, contradicere *Lutheris*, quum *libimerispi* contradicat? Non negamus, inquit, corporalia a Deo peti posse, & vel Gentiles fassint, orandum esse, ut sit mens sana in corpore sano; sed illud hic queritur, an Christus vel in dicta petitione, vel in nostro Evangelio, ubi de fine petitionum loquitur, gaudio scilicet perfecto, de corporalibus agat? Ego sane id affirmare nondum sustineo, nec tamen aliis invideo, si malint panem terrestrem, ego *cœlestem* eligo, Job. VI. Hem vero! Spiritum verigiter in Pietista! Non negat, corporalia a DEO peti posse, & tamen,

quod vel in *quarta* petitione, vel *eo in loco*, ubi Christus *ex instituto* agit de precibus, intelligantur, *affirmare non sustinet*. Ubi igitur petere jussi sumus? Numne quid injussis, ac nulla promissione suffultis, orare licet a DEO? Imo si in *quarta* petitione corporalia bona petenda non sunt, fortiter inferre potero, quod *in nulla*. Si in *nulla*, ergo vel omnino petenda non sunt, quod tamen ipse *Giffensis* negat, vel Christus *imperfectam precandi formulam* discipulis prescrivit, quod B. D. *Farfurus*, loco in *Vindiciis* allegato, inter *absurda* refert. Repte *Lysenus* in *System.* l. c. non possum bona dari, que ad ea, que in *Orat. Dominica* sunt petenda, referri non possint. Concludo igitur, in *quarta* petitione, panis *ἐπιστολή* nomine, bona corporalia, & temporalia petenda esse, quod erat demonstrandum.

§. XXXIX. Est (2.) *erronea & falsa*. Primo enim (a) τὸ ῥῆτον sine urgente necessitate non est deferendum, idque ipsa Orationis simplicitas requirit. (b.) Panis fidelibus proprius, eorumque necessitati, ac indigentiae promissus, est vel Christus ipse, qui se panem cœlitus demissum nominat *Io. VI, 5.* vel verbum DEI, quod animas nutrit, ac roborat. Atqui utrumque nobis exorare studemus postulato II. *Adveniat regnum tuum.* Quid ergo opus fuerit, id denuo, aliis licet verbis, expetere? Adhac (c.) res ipsa id loquitur, quod Christus in Oratione Dominica ab omni tropo, & schismate abstinuerit. Evidem apud Matthæum unica vox ὁ Φείλημοι metaphorio sensu posita est pro peccato, sed Lucas proprie dictum substituit, & quod Matthæus ὁ Φείλημοι nominarat, ipse ἀμαρτίαις appellat, eoque significatum τοις ὁ Φέλειν & ὁ Φείληματ@ aperit, ac declarat. Quia ergo nos moveret necesitas, ut ea intelligamus improprie, quæ multo commodius accipientur proprie? (d.) Tὸ bodie, quod hac in petitione legitur perspicue docet, cum panem significari, qui bono

terrenus, & corruptibilis est, & qui, juxta institutum naturæ ordinem, non nisi *in diem* sufficere potest. Cœlestis autem panis, (qualis est verbum DEI) quia non corruptitur, nec *in diem* tantum durat *i. Petr. I, 5.* non indiget declaratione per τὸ σῆμα, nec accurate loquendo cotidianus est. Cibus enim cœlestis virtutem suam altricem extendit *in perpetuum*, multoque efficacior est, quam cibus Eliæ ab angelō allatus, eique sustentando per XL. dies sufficiens *i. Reg. XIX, 8.* (e.) Quidam Veteris Ecclesiæ Doctores ἐπίστοι interpretantur de pane *Sacramentali*. Quorum si qui vellint sententiam sectari, hos meminisse decet, t. t. S. Coenam ne quidem institutam fuisse a Domino. (f.) Denique scopus Christi fuit præscribere petitionem omnium, quæ homini necessaria sunt, ac proficia. At vero, ut recte infert D. Försterus, in Thes. Catechet. Dec. II. Probl. IV. *si aliud quid quarta petitione petendum, quam bona corporalia, que ad corporis cultum, vietumque pertinent, tum sequeretur, Orationem dominicam non esse formam perfectæ Orationis: sed consequens est absurdum, ergo & antecedens. Connexionis in copulato ratio inde manifesta est, quod nulla alia petitio bona istiusmodi complectitur, que tamen aquæ, ut spiritualia, a DEO sunt postulanda, sicut tum mandata. i. Reg. IIX, 35. tum exempla scripture, Gen. XXVIII, 20. Prov. XXX, 7. evidenter ostendunt.*

§. XL. Nam quod excipi poterat, indignum esse Christianis, *caduca & temporaria, vilia, & abjecta*, petere a Patre cœlesti, id etsi veteris Ecclesiæ Doctores quosdam, & *Salmasum*, aliasque induxit, ut de pane spirituali, quam corporali, accipere τὸ ἐπίστοι mallent, pridem tamen est confutatum a Nostris, & a B. Kortboldo peculiari dissertatione, quæ annexa est *Exercitat.* c. Baron. ostensum, quod minime pu-

gnet cum officio hominis Christiani, panem etiam corporalem postulare a DEO. Quod ipsum e Pontificiis Durantus l.c. & Bona de hymn. div. pag. 426. verum esse agnoscent, adeoque, per panem cotidianum, omnia subsidia ad vitam, tam anima, quam corporis tuendam, necessaria significari existimant. Imo vero, quia non modo licet, sed etiam fas est, ac deceat, bona corporis petere a DEO, statuimus, verba petitionis quartæ, non de pane spirituali, sed corporali, intelligi oportere. Cum enim perfectissima sit hæc Oratio, ita ut Augustino auctore in Epist. ad Probam c. 12. si per omnia preicationum sanctissimarum verba discurramus, nihil inveniamus, quod non ista Dominica contineat, & concludat Oratio; non dedecet in ea Oratione, quæ ad vitam necessaria sunt, postulare, judice Duranto de rebus E. II. p. 53.

§. XLI. Postremo Contextus ipse hoc probat. Nam si de pane spirituali, vel animæ, agebatur, quid opus erat ad jicere τὸ σῆμερον vel καθ' ἡμέραν? Si enim sanctificationem Nominis divini, adventum regni, observationem voluntatis divinæ, rotunde, ac simpliciter, & procul restrictione ad tempus, postulare jubemur; ita etiam haud dubie nulla temere adjecta temporis restrictio fuisset, si in sequentibus panis spiritualis petendus esset. Sed vero, quia panis corporalis, & bonum quoddam temporarium, exorandum erat, placuit illud σῆμερον, vel καθ' ἡμέραν, addere, quo commonefierent homines, non oportere illos nimias opes, vel rerum omnium affluentiam petere, aut de crastino nimis esse sollicitos. Sufficere, si tantum quisque haberet, quantum in dies singulos requiratur. Conf. B. Stolbergius in Dissert. de pane ēπιστολ.

§. XLII. Itaque hanc petitionem de pane corporali optimus, & præstantissimus quisque, inter Veteris Ecclesiæ docto-

doctores interpretatur, TERTULLIANUS PP. Latinorum antiquissimus de Orat. c. VI. f. 131. ed. Prior. *Quam ele-  
ganter, inquit, divina sapientia ordinem orationis instruxit,  
ut post cœlestia, i. e. post DEI nomen, DEI voluntatem, & DEI  
regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum ficeret,  
nam & edixerat Dominus: Querite prius regnum, & tunc vo-  
bis etiam haec adjicientur.* Et licet verba hæc spiritualiter  
potius intelligenda putet, mox tamen ad se reversus, trans-  
futurus ad declarationem V. Petitionis p. sq. addit: *Conse-  
quens erat, ut observata DEI liberalitate etiam clementiam  
ejus precaremur. Quid enim alimenta proderunt, scilli repu-  
tamur revera quasi tauris ad victimam.* Et de Jejun. adv.  
Psychicos c. XV. f. 553. in ordinaria, inquit, *oratione parum  
mandavit postulandum, non & attacicas divitias.* CYPRIA-  
NUS de orat. Dom. f. 192. edit. Rigalt. quum verba petitio-  
nis IV. recitasset, mox subjicit: *Potest hoc & spiritualiter &  
simpliciter intelligi: quia & uterque intellectus utilitate divi-  
na proficit ad salutem.* Et post aliqua: *Potest & sic intelligi,  
ut qui seculo renunciavimus, & divitias ejus, & pompas, fide  
gratia spiritualis abjecimus; cibum nobis tantum petamus &  
victimam.* Quæ in sequentibus fusius dedit. Tandem ad  
V. petitionem transiturus: *Post subsidium, inquit, cibi, peti-  
tur & venia delicti.* CHROMATIUS Aquileiensis in Cap.  
VI. Matth. hæc verba duplaci modo intelligere se dicit. Pri-  
mum ut non aliud, quam quotidianum victimum postulemus.  
Non enim jubemur diditias petere, aut affluentiam secularium  
rerum, sed panem quotidianum, quod Christianis fide viven-  
tibus ad presentem vitam solummodo necessarium est - -  
Hoc autem spiritualiter nobis præceptum esse debemus adver-  
tere, ut panem quotidianum petamus i. e. panem illum cœle-  
stem, & spiritualem, quem quotidie ad medelam animæ, &

spem

III. 11. 11. 11.

*spem aeternæ salutis accipimus, &c.* Vid. Monum. Patrum f. 1214.  
 AUGUSTINUS de pane alendo corpori destinato haud dubie accipit serm. CXXVI. de temp. Expositis enim tribus prioribus petitionibus accessurus ad quartam: *Consequenter jam, ait, post cœlestia etiam terrestria postulamus; sed tantum necessaria.* Nam dicimus? panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quæ repetit, ac prolixius declarat in L. quinquaginta homil. homilia XLII. tandemque missurus in compendium dicenda: *Quando, inquit, rogamus panem quotidianum, quicquid nobis propter carnem nostram in terris necessarium est, postulamus.* Plura ex Augustino loca vide sis apud Kortholtum l. c. Sed nec HIERONYMUS in Matth. c. VI. panem spiritualem a nobis experti sic affirmat, ut aliorum, qui de cibo corporali accipiunt, sententiam prorsus rejiciat. VENANTIUS in expos. orat. Domin. de alimentis temporariis simpliciter intelligit: *Considerandum est, inquit, quam mirabiliter Orationis bujus ornatus sit textus, ut nominatis aeternis temporalia peterentur.* Nam tria ista quæ poscimus, i.e. sanctificetur nomen tuum: *Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, propter aeterna consequenda hic sunt necessaria,* & hic incipiunt, sed perfecta in futura vita possideri credenda sunt, & perpetua permanebunt. Ergo panem nostrum dabo, quantum anima & in carne est necessarius spiritualiter, vel corporaliter. vid. Monum. PP. Orthodoxogr. f. 1226. ISIDORUS Hispal. de offic. Eccles. c. XIV. scribit: *In Oratione Dominica, ut Patres scripsierunt, VII. petitiones continentur, sed in tribus primis aeterna poscuntur, in sequentibus IV. temporalia, quæ tamen propter aeterna adipiscenda petuntur.* - - - *Hic, post subsidium cibi, venia, ad exemplum fraternæ indulgentiæ, postulatur.* vid. Monum. P. P. f. 1741.

## §. XLIII.

§. XLIII. Græcos inter BASILIUS, ὁ Θεοφόρος, in Ascet, interrog. CCLII. f. 624. τὸν ἐπιστον ὄρτου interpre-tatur τὸν πρὸς τὴν ἐΦήμερον ζωὴν τῇ ἐστίᾳ ἡμῶν χρησιμέ-u-otus, qui ad quotidiam vitæ sustentationem substantiæ nostræ conduceit. CYRILLUS Alexandr. L. II. Glaphyro-rum in Exod. quo loco de querelis Israelitarum, cibum a DEO postulantium, agit: quod necessaria, inquit, ad vitæ sustentationem ab ipso exigant, reprobatione vacat: obmuri-muratione vero offenditur. Porro Salvator ipse in Orationi-bus nos docuit dicere: panem nostrum quotidianum da no-bis hodie. Quod quidem dicentes, nullo modo accusamus Do-minum, ἔξαιτήσομεν δὲ μᾶλλον παρὰ ὅντες τὰ εἰς ζωὴν ἐπιτήδεια, sed petimus potius ab ipso, que ad vitam sunt ne-cessaria. Nec alias ὄρτου ἐπιστον de pane spirituali accepit Cyrilus. vid. OO. T. I. f. 286. edit. Paris. GREGORIUS Nyssenus in Orat. IV. de orat. Dom. f. 748. ed. Paris. de pa-ne corporali omnino intelligit, &, post alia bene ac sapien-ter hanc in rem disputata, scribit: μέχρι τέλεως τὴν ψυχὴν τοῦς περὶ τὸ ὄρθιο μερίμνας ἐνδήσης; ὅλλα ἀπὲ τῶν τὸν ἀρτον ἐκ γῆς ἔξαιγοντι ἀπὲ τῷ τὸς κόρων τρέφοντι, τῷ διδύντι τροφὴν πάσῃ σαιῃ, τῷ ἀνοίγοντι τὴν χεῖρα, καὶ πληρῶντι πᾶν ζῶν ἐνδονίας, διτὶ παρὰ σὺ μοι ἡ ζωὴ. Παρὰ σὺ γενέθλω καὶ ἡ πρὸς τὴν ζωὴν ἀφορμὴ. σὺ δὲς τὸν ἀρτον, τέτετον, ἐν δικαιων πόνων τὴν τροφὴν χόμν: Dic: abs te mibi vita est: a te quoque mibi vitæ subsistuum contin-gat: tu da panem i. e. ex justis laboribus cibum adipisci ar. Consentit ISIDORUS Pelusiota L. IV. Epist. f. 431. ed. Paris. Cum te ipsum, ait, deliciis ac luxui manciparis, & multa non solum ad victum, sed etiam ad luxuriam reposita jam habeas viatica vitæ, tamen orare (audes) τὸν ἀρτον ἡμῶν τὸν ἐπισ-tον (τετέτον, ἡ τὸν τὴν ψυχὴν ἀγνόδοιον. ἡ τὸν τὴν σαιῃ  
L  
ὅνταρ-

αὐτάρκη) δός ἡμῖν σήμερον. Panem nostrum quotidianum,  
*(b.e. anima convenientem, aut carnis sustentationi sufficien-*  
*tem) da nobis bodie.* CHRYSOSTOMUS T. V. OO.  
 homil. XXX. ἀρτον ἐπιέστιον, τετέσι ἐπὶ τὴν ἐσίν τὸ  
 σώματος διαβούνοντα, καὶ τυγχαντῆσαι τάυτην δυνάμενον,  
 qui ad ipsam corporis essentiam transit, eamque conservare  
 potest. Idem in Pl. CXXVIII. docet, ἀρτον ἐπιέστιον omnia ad  
 hanc vitam necessaria notare. Mox ait: propterea talēm jussus  
 es precari orationem, εὖ ἡ μόνον ἐν αἵματι αἰδητὸν αἴτιον, καὶ  
 πλέον ἔδει, in qua unam tantum petis orationem terrenam,  
 οὐ nibil ulterius. Ad stipulatur ei pro more THEOPHY-  
 LACTUS in c. VI. Matth. ἀρτος ἐπιέστιος, inquit, εἰνὶ ἀρ-  
 τος ἐπὶ τῇ ἐσίᾳ καὶ συσίστει ἡμῶν αὐτάρκης, panis, qui sub-  
 stantia οὐ constitutioni nosθεa sufficit. Et in Luc. c. XI. οἱ ἐπὶ<sup>1</sup>  
 τῇ ἐσίᾳ ἡμῶν, καὶ συσίστει τῆς ζωῆς συμβαλλόμενος, ei-  
 dem appellatur. THEODORETUS Cyri Episcopus  
 verba Pauli ad Philipp. VI, 19. DEUS meus impletat πᾶ-  
 σαν χρέαν ὑμῶν, sic explicat: αἵτε αὐτοῖς παρὰ τὸ τάῦ-  
 τα κομισθεντας καὶ τὴν, κατὰ τὸν παρόντα Θίου, χρέων,  
 negatque, Apostolum aliquid se indignum appretatum  
 fuisse, ideo, quia & Dominus orare nos jussert: Τὸν  
 ἀρτον ἡμῶν τὸν ἐπιέστιον δός ἡμῖν σήμερον. T. III. OO.  
 f. 341. ed. Paris. Jo. DAMASCENUS de O. F. c. XIV. f.  
 318. ed. Basil. vocem ἐπιέστιος declaraturus ait, significare il-  
 lum ἡ τὸν μέλλοντα, τετέσι τὸν τὸ μέλλοντος αἰῶνος, ἡ  
 τὸν πρὸς συντίρησιν τῆς ἐσιάς ἡμῶν λαμβανομένον. Sic  
 igitur præstantissimi quique Ecclesia Vet. Doctores ἀρτον  
 ἐπιέστιον, de pane alendis & sustentandis corporibus idoneo, ac-  
 cipiunt, qui vero de mystico pane interpretantur, sic eam attem-  
 perant plerique, ut panem corporalem οὐ terrenum nequamquam  
 excludant, iudicio Kortholti verissimo, l. c. p. 416.

§. XLIV.

§. XLIV. Quinta petitio saltem ad Fanaticorum palatum non est. *Kufferiani*, vel secta *Steinbachiana*, a Mart. Steinbachio Sec. XVI. appellata, tum in aliis, tum præcipue in Petitione V. Orationem Dominicam mutare non dubitabant. His enim verbis recitare solebant formulam: *Vater Unser, der du bist vor den Himmeln,* ) quia nempe illorum opinione, *Steinbachius* in extremo demum die cœlum reclusurus erat, ) *unser Brodt gieb uns: Vergieb uns unser Schuld,* und gieb uns Gnad, daß wir verzeihen denen, die uns Leid gethan, wie du uns verzeibest. Vid. *Sleidanus contin. P. II. p. 17. 18.* Interim hi utcunque retinuerunt Orationem Dominicam, utri formulam alicubi mutare, privato consilio, sint ausi. Alii vero eandem omnino abolere, ac proscribere, studuerunt. De *Anabaptistis*, quibus nulli haeretici vel fcelestiores, vel sanctitatis opinione inflatiores, leguntur, magnus alioqui eorum Patronus Gottfrid Arnold. *P. II. f. 281.* scribit: *Die Wiedertäuffer beten das Vater Unser, oder doch NB. die fünfte Bitte nicht.* Tremuli docent: *Das Vater Unser sey denen noch schwachen Jüngern als ein Exempel und Muster des Gebeths vorgelegt worden: Die Starcken dürfsten sich daran nicht binden,* apud Eundem *L. XVII. c. XX. n. 40.* Ante quinquennium plus minus prodiit libellus von der *Wiedergeburth*, quem scripsisse *Annam Catharinam Scharschmidiam*, honesti apud Quedlinburgensis viri conjugem, tradunt Celeberr. auctores der *Unsibuld. Nachrichten ad A. 1705. p. 750.* Eo in libello tum remissio peccatorum per Christum non obscure improbatur, tum *perfetismus*, seu inanis, de perfecta quadam sanctitate, hac in vita perswasio, docetur. Ad calcem adiecta est *Angli* cuiusdam, de perfectione hominis, meditatio, in qua inter alia statuitur: *Ohne Sünde seyn, sey möglich: welche das Gegentheil lehren, bestärken des Teufels Reich, und wären von ihm verführt. Das Vater Unser, und NB. absonderlich die Bitte*

um Vergebung der Sünde, (hem consensum cum Tremulis!) geböre nur vor die Anfänger: Das Gesetz müßt, und könne, von uns erfüllt werden: Es sey nicht immer Streit zwischen Geist, und Fleisch, sondern das Fleisch sterbe &c. Quæ ipsa ex instituto persequitur, multisque quæstionibus, & responsionibus inculcat B. P. Karl in der lautern Milk des Evangelii oder allgemeinen Christen Catechismo n. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. Unde idem contendit, ad illam ubi perfectionem pervenerit, gebe ihm die fünfte Bitte, Vergib uns unsere Schuld, vor seine Person denn nicht mehr an, er müßte es nur für andere beten, im Catecasmus-Gespräch. p. 15. 16. 29.

§. XLV. Nos vero his furoribus opponimus 1) quod Oratio Dominica ipsis Apostolis, sanctis haud dubie hominibus, & admirandis dotibus exornatis, a Servatore præscripta fuit. 2) Illud Johanneum urgemus: *Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimur, & veritas in nobis non est: Si dixerimus, non peccavimus, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.* i. Job. I, 8. 10. Itaque sanctissimi quique, piissimum Episcopi, apud veteres, se peccatores inscriebant, & apud Græcos αὐτοὺς λογίου vocari amabant, ut viri docti notarunt, apud Rivet. in *Apolog. pro vera pace Eccles.* f. 126. b. Quorum a moribus grande quantum recessisse videntur, qui hoc tempore perfectam sibi sanctitatem tribuunt, & tamen ad veterem Ecclesiæ statum omnia se revocare velle, ja-stant. Nam si voluntatem DEI, in lege revelatam, perfecte facere possemus, salvaremur per legem, quod tamen ὁδύοντο esse, Apostolus conceptus verbis docet Rom. VIII, 3. Bene & sapienter Lutherus noster in Catech. Maj. & explic. V. petit. ed. Lips. in 4to 549. Dieses Gebet soll darzu dienen, daß uns GOTT den Stolz brecke, und in der Demuth halte, denn er hat ihm vorbehalten das Vortheil, ob jemand wolle auf seine Frömmigkeit pochen, und andere verachtien, daß er sich selbst ansche, und

und daß Gebet vor Augen stelle, so wird er finden, daß er eben so fromm ist, als die andern, und müssen alle für GOTTL die Federn niederschlagen, und froh werden, daß wir zu der Vergebung kommen, und dencke es nur niemand, so lange wir hier leben, daß bin zu bringen, daß er selber Vergebung nicht dürffe, und wo er nicht ohne Unterlaß vergebts, so sind wir verlobren. Hæc sibi capiant Sanctuli, & sigillatim Carolus, quem mala fide citasse Lutherum jam supra ostendimus.

§. XLVI. De sexta & septima petitione nil addo. Epilogum, seu Doxologiam, Observator Halensis denuo derivat e Cabala, & nescio quæ mysteria Sephirotica in ea sibi invenisse videatur. Verba ipsa suo loco jam recitavimus. Summa eorum huc redit, mentionem in epilogo fieri potentie, quæ sit sephirah quinta, & gloria, quæ sit sephirah octava. Ad illam commode referri posse magnitudinem, quæ sit quarta, ad hanc vero pulchritudinem, quæ sit sexta sephirah. Addi denique in sempiternum; quorsum reliquæ duas Sephiroth, victoria & æternitas, commode revocari queant.

§. XLVII. Ac memini quidem B. Saubertum in eadem fuisse sententia, quod tum doxologia, tum amen adjectum, a formulis precandi, Ebræis usitatis, depromptum sit. Stante, inquit, templo, quoties in eo mentio nominis DEI facta, populus conjuncta voce, certa formulæ, qua regnum DEI commemorari opus erat, respondit: eademque preces in fine obsignavit. Cujus vicem extra sanctuarium finitis Orationibus Sacerdotum, & alias; pro antiphona erat amen. Et post aliqua: Ultramque formulans Dominus noster J. C. Orationi Dominicæ in clausulam adjicit Matth. VI, 13. illam quidem b. v. quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum - - Quare illam placuerit adjicere, nostrum non est, judicare. Nihilominus cum vocem Sosilem in capite, & calce precum locaverit, nescio, an ad Canonem respexerit Iudeorum omnium severissimum,

mum, & precipua religione estimatum, qui extat in Mass. Brachos: Omnis precatio, in qua non extat vocula regnum, (DEI) non est precatio- Hactenus Saubertus.

S. XLVIII. Cujus in sententia eum deprehendo errorem, quem jam in aliis notatum memini, quod nempe illa omnia, de quibus παραλληλόντι, apud Talmudistas, vel Cabalistas, vel alios hujusmodi scriptores offendunt, Christianos ab Ebrais velut mutuo petisse putant, quum potius sit invertenda sententia, & dicendum, Judæos Talmudistas, & Cabalistas, si quid Christianorum formulis, aut institutis simile, ac conforme tradunt, id Christianis, eoruademque libris velut suffuratos fuisse. Scripta saltem Apostolorum, veterumque Doctorum in Ecclesia, multo sunt, quam vel *Cabbala*, & *Talmud*, antiquiora. Cumque negari non possit, Judæos, maxime *Hellenistas*, *Alexandriæ* & alias, multa sapientum Græcorum placita suæ religionis capitibus aspersisse, quis dubitet, post excidium Urbis, & templi, cum viderent, magis magisque doctrinam de Christo invalescere per orbem, & multa scriberentur, de nostris institutis, atque sententiis, *Plagiarios* illos, ut *Pfeifferus* nominat, harum etiam partem aliquam suis voluminibus ingessisse? Quicquid vero hujus rei sit, in *Sauberti* saltem, de Doxologiæ origine, sententia, nervum consecutionis desidero. Nec enim, judicio nostro, sequitur: Ebrai in quadam precandi formula mentionem fecerunt regni DEI: Christus etiam ejus mentionem facit in sua: Ergo Christus ab Ebrais eandem est mutuatus. Namque & multa Græcorum, & Latinorum dicta, cum Ebræorum placentis, formulisque consentiunt, quos tamen propterea ab illis petitas esse mutuo, non est putandum. Imo vero epilogus Orationis Dominicæ ne quidem illi, qua de agitur, Ebræorum formula omnino responderet. Hæc enim ita se habet: *Benedictum sit nomen glorie regni ejus in sempiternum: quæ*

Ver-

verba plurimum sunt diversa ab illis: *Tuum est regnum, & potentia, & gloria.* Neque etiam observatio illa, quod precatio, sine mentione regni, non sit precatio, Scripturarum consensu nititur, cum haec multas commemorem, enixissimas & ardentissimas preces, in quibus *regni DEI* nulla sit mentio, quod vel e sola Psalmorum collatione ostendi potest. Quin potius illud axioma a recentioribus Judæis excogitatum, hominibusque propinatum videtur, quo tanto impensis, & studiosius adventum *Messie*, regnumque illius visibile, ac mundum expeterent.

s. XLIX. Quod autem ad *Observatoris Hal.* sententiam de respectu Epilogi ad *Sephiroth* Ebræorum sententiam attinet, hanc eodem, quo Sauberti opinionem, numero, locoque habemus. Enimvero, si constitutum fuit Servatori ad Sephiroth Ebræorum respicere, cur non eodem, quo collocari ab his solent, ordine, illas recensuit? Cur modo duas una voce expressit, modo aliquas prorsus præterit? Quo jure magnitudo ad potentiam, seu Sephirah quarta ad quintam, & non potius potentia ad magnitudinem refertur? Cur victoria ad τὸ sempiternum esse, & non potius ad potentiam revocatur, quum victoria sit documentum potentiae? Denique prætereundum non est, quod & ab aliis recte notatum fuit, errorem commisso Observatorem, quod ad τὸ in sempiternum retulit duas Sephiroth נצח & זריר, latineque reddidit *victoria* & *eternitas*, quum tamen posterior vox non æternitatem, sed fundamentum significet, adeoque DEI constantiam, & immutabilitatem, in *decernendo* potius, & *exequendo*, quam *durando*, ac *subsistendo*, insinuerit. Interpretem nimirum *Isaaci Loricensis* non satis assecutus fuit, qui τὸ nezach reddidit *victoriam*, vel *eternitatem*, non quod putaret idem vocabulum *uno*, *comunque in loco*, utrumque significare, sed ut doceret, utroque sensu accipi vocabulum posse, optionemque adeo relinquere aliis,

aliis, utro vellent h. l. significatu accipere, & numne illud nezach vellent interpretari victoriam, an vero æternitatem, quia utrumque non quidem hoc in loco *significet*, alias tamen *significare possit*. Noster autem illa vocis æquivocatione ad singendas duas distinctas Sephiroth usus est, erroremque non unum commisit. Primo, quod τὸν ἥρον aliter, quam debuit, reddidit. Deinceps quod sensu *compositio* accepit, quod accipiendum erat *divisio*. Porro, quod una οὐώνος voce diversissima DEI attributa, victoriam nempe, & æternitatem, quorum alterum *operatur*, alterum *quiescit*, complexus fuit. Postremo, quod οὐώνος nomine victoriam notari credidit, cui tamen, ut potentiae infinitæ exercitio, & documento, cum æternitate, qua tali, nihil est commercii.

s. L. Tot nempe, ac tantis, difficultatibus implicari videamus nimios Cabbala admiratores. Quanto satius fuerat, sanctissimam precationis formulam, non cum doctrina Sephirotica, quæ Pythagoræ magis, aut Platonis, quam Spiritus gratiæ & precum, scholam sapit, sed cum Scripturæ V. T. oraculis conferre. Ut enim πῶτις γραφὴ est Θεόπνευσος, & ipsissimus Christi Spiritus per os Prophetarum locutus fuit; ita, si omnino aliquis sit ostendendus consensus, epilogi, ac doxologiae in hac Oratione vestigia in Scripturis V. T. nullo negotio deprehendentur. *Psalmus* enim *XXII*, 28. legitur τὸν κυρίον ὡς βασιλέα, Domini est regnum: Apud Jobum: παῦρ ἀντῶ σοφίᾳ καὶ δύναμις: & *Psalmus* *LXIII*, 2. δύναμις καὶ δόξα conjungitur. Imo vero, si sententiam spectemus, eadem prope doxologia usus fuit Davides. *Canticum* *XXII*, 11. quando ad DEUM conversus: *Tua*, inquit, Domine magnificencia est, & potentia, & gloria, victoriaque, & virtus: *Tu enim rex es eorum, qui in cœlo, atque in terra*. Quibus verbis & ipsi DEO gratias agimus, quod adesse meditationibus nostris dignatus fuit, præsentemque Differ-  
tationem finimus.

AB:153257



St

VD18

VD17

R



### Farbkarte #13



V. II  
**[CIAE]  
IONIS  
NICAЕ,**

CIIS  
 MAGNIFICENTISSIMI,  
*PIS ATQVE DOMINI,*  
**CI AVGVSTI,**  
 AXON. HEREDIS  
 ETC.

SIDE  
**ERNSDORFIO,**  
 Publ. Ædis OO. SS.

s Eccles. Assessore,  
*Is Is ec XIII.*  
**DIVI LVTHERI**  
 NDVM PROPOSITAE

HEYMIO,  
 Lufato.  
**TERTIA,**  
 NOVISQVE VINDICIIS,  
 ESTATA.  
 LO GERDESIANO.